This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

4.° B.S.

930.

Digitized by Google

Digitized by Google

4.º B.S.
930



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CORPUS
ILLUSTRIUM POETARUM
LUSITANORUM;

Digitized by Google

Digitized by Google

CORPUS
ILLUSTRIUM POETARUM LUSITANORUM,

Qui Latinè ſcripſerunt,

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUM

AB ANTONIO DOS REYS,

Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Lisbonenſis Presbytero, Regio Hiſtorico-Latino Portugalliæ, & Regiæ Academiæ Cenſore.

JOANNI V.

LUSITANORUM REGI

CONSECRATUM,

NONNULLISQUE POETARUM VITIS AUCTUM

AB EMANUELE MONTEIRO,

Ejuſdem Congregationis Presbytero, Regiæque Academiæ Socio.

TOM. I.

LISBONÆ,

Typis Regalibus SYLVIANIS, Regiæque Academiæ.

M.DCC.XLV.

Cum facultate Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNI V.

POTENTISSIMO LUSITANORUM REGI,
Algarbico, Africo, Oceanico, Æthiopico,
Perſico, Arabico, Indico, &c.

A Genua tua, Rex
Auguſtiſſime, Poetarum Luſita-
norum

norum Corpus, veluti Numinis pulvinar deferre, non tam liberum, quàm debitum fateri neceſſe habeo; quod enim à Te habuit concipi, adoleſcere, & in lucem prodire, Tibi, & non alteri, jure quodam peculiari poſtulat adſcribi; forſitanque hoc, non fato, ſed myſterio hucuſque delituit, ut ſcilicet bonarum litterarum Protectori Maximo, Fautori Magnifico, ſeculum aureum redire cogenti, imò ſuperanti, hujuſce Operis gloria verteretur; nemo ſiquidem, Latiis dum manebit pretium Muſis, harum Tibi non vertet gloriam; cùm ſciat, Tui Regii oris ſpiraculo vitam debere

Digitized by Google

debere hoc primum Corpus Poeticum, haud omnino abſimiliter ac primum Corpus humanum illam habuit à Divini oris afflatu.

Juſſiſti auguſta pariter, ac magnifica pietate ductus in unum colligere, & in lucem proferre illius partes, non ſolùm typis mandatas, ſed nondum excuſſas; idque jubere, fuit utique huic Corpori vitam inſpirare; imò, cùm nondum editæ jacerent ſemiſepultæ, peneque in interitum vergerent evulgatæ, ac diſperſæ, illi, & vitam, & ſtabilitatem indulſiſti, cùm ab incuria hominum, & ab injuria temporum omnes illius partes vindicaſti.

Digitized by Google

Jamque diu lucem hanc, verè magnam, utpote à Te indultam, totum Corpus Poeticum hauriret, ni immatura mors, magnorum factorum interceptrix, Patrem Antonium dos Reys lucis usuram dimittere compulerit; siquidem illum à Te destinatum, veluti novum Prometheum, face à Te mutuata, huic Corpori lucem allaturum, vetuit fati necessitas.

Quas verò partes collegit, collectas ordinavit, ordinataſque prælis suppoſuit, eas Tibi, Rex Auguſtiſſime, ſiſtimus, cæteraſque ſiſtemus, quoaduſque integrum Corpus perficiamus; neque enim dubitare fas eſt, quin be-

ne

Digitized by Google

ne multa, quæ ſuperſunt Poemata, quaſi quædam Phydiæ ſigna, ab Exteris probata, & eruditorum plauſibus excepta, id honoris à Te non habeant, Tuis ſcilicet auſpiciis lucem videre; quandoquidem eorum Authoribus non contigit ſub Te vivere, quibus glorioſior materies Tuis è laudibus exurgeret; illam verò poſteris accerſes, cùm hos redivivos facies.

Quamobrem, cùm Tuo patrocinio id Corpus dignari, Tibi, Rex Auguſtiſſime, placuerit; eodem quoque Authorum vitas, quæ pro eo abſolvendo à me ſcriptæ ſunt, Majeſtatis Tuæ clementia mihi pollicetur; illa ſcilicet cle-

clementia, quâ maximâ quinque JOANNES *Portugalliæ Reges à me Tibi ſacratos dignatus es amplecti; illaque, quâ incomparabili innumera pene Authorum ſcripta à remotioribus Orbis plagis ad Te convolantia, Tuoque Auguſtiſſimo Nomini ſacrari ambientia, amplecti ſoles. Eo profectò rectiſſimo ductus conſilio; nempe, Te ubique Authoribus benignum exhibentem, & bonarum litterarum Protectorem fieri; &, quod ſublimius eſt, facturum bonas, cùm non dedignaberis ſacratas. Ulyſſippone e Congregatione Oratorii, Idibus Junii, Anno Dñi M.DCC.XLIV.*

Emmanuel Monteiro.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI.

N tibi, humaniſſime Lector, *Corpus illuſtrium Poetarum Luſitanorum, qui Latinè ſcripſerunt* jam diu promiſſum, & hucuſque dilatum; non tamen pigrâ quadam procraſtinatione, quæ rebus omnibus impedimento eſſe ſolet; ſed præpropera, immaturâque morte Patris Antonii dos Reys, cui à Magnifico Rege noſtro JOANNE V. illius collectio, ac editio fuerat demandata. Scilicet Regio nutui obtemperaturus vir hic de republica litteraria optimè meritus (ut ejus poemata huic corpori inſerta demonſtrabunt) hunc uberem fundum excoluerat, abeoque bonæ frugis copiam acceperat; collegit namque ad ſeptimum uſque volumen, quæ typis fecit recudi in quarto cartæ (ut appellant) magnæ. Verùm quatuor tantùm Authorum vitas abſolvit; nempe Petri Sancii, & Henrici Cayado

Digitized by Google

Cayado in primo volumine; Fratris Franciſci de Barcellos in quarto; ac Antonii Figueira Duraõ in quinto; cæteroſque immortales reddere properantem mors cohibuit.

Eo è vivis ſublato, neceſſum fuit Corpus iſtud latitare, cui deerat, qui illud in lucem proferret, donec placuit me deſignari, qui id muneris in me receperim; quamque diſpar viribus imponeretur onus optimè noverint, qui, qualiter illud ſuſtineam, animadverterint. Inde verò conjectari poterit quantum mihi (aliis etiam curis diſtracto) laborandum fuerit, ut tanti viri munus ſubirem, vices agerem, veſtigia premerem. Præſertim, cùm nihil cunctatus, imò rei litterariæ promovendæ cupidiſſimus, ſtatim animum appulerim, ut opera recognoſcerem, Authorum vitas conſcriberem, cæteraque deſiderantia ſupplerem; poſtea verò, quæ ſuperſunt colligam, collecta typis recudam; donec eâdem diligentiâ penſum accurabo.

Credo

Digitized by Google

Credo autem Corpus istud perjucundè acceptum iri Humaniorum litterarum cultoribus, cùm illapsa in intimos sensus latinitatis munditia, & carminis elegantia inescatum animum, atque illectum nova quadam voluptate perfundet, forsitanque hominum incuriæ irasci continget, eo quòd tam præclara Lusitanorum Vatum monumenta hucusque luctantia cum blattis, veluti despicatui haberet, hisceque tantùm ignoverit reliquiis, è quibus liquidò noscitur quantum amissum fuerit in cæteris, quæ Augusti seculo vix elegantiùs, aut loculentiùs effundi potuissent.

Neque tamen dubito fore plerosque, quibus hæc Poemata, cùm verè sint oppido quàm elegantissima, non arrideant; sunt enim quamplures, qui Harpyiarum ritu quidquid tangunt, conspurcant; his verò obtrectatoribus gratuitis, quorumquidem latratus jam diu malè de Lusitanis ad carmina sentientes, id honoris traducere conati sunt, os nunc obstruendum confido, tam præclaro de nostris exhibi-

Digitized by Google

to teſtimonio, quo decus illis additum iri ſpero, nullis poſthac, aut ignorantiæ, aut invidiæ calumniis obnubilandum; credo etenim canes lunæ, quam mordere nequeunt, minimè adlatraturos, aut ſaltem hirrituros; hâc namque quam obtrudimus offâ, rictus penitùs occludemus; neque novas opus erit parare ſcuticas, quibus importunos abigamus.

Sin autem quis audeat notis inurere Poetas adeo elegantes, nitidos, & faciles, ſublimia ſublimiter, ſeria graviter, ludrica decenter, omniaque ad imum ſervantes qualia ab incæpto proceſſerunt. Sin Virgilianos dulcedine, Ovidianos facilitate, Plautinos lepòre, cæteriſque aurei ſeculi ſimiles, quantumvis venuſtiores, quis ibit inficias, fas erit ſuo in diſcrimine, & Græcorum, & Latinorum facilè Principibus ſolari Luſitanorum facile principes; neque enim è Græcis Homero, Pindaro, Theocrito; èque Latinis Plauto, Terentio, & Virgilio partum eſt; quinimò aliquas vitiorum labes in illis deprehendiſſe non-

nonnulli auſi ſunt aſſerere ; quos enim grandes invenerunt , tumidos vocârunt ; quos breves , exiles ; quos floridos , & amænos, moles, ac luxuriantes ; quos feſtivos, ineptos ; quos ſubtiles, obſcuros; quos denique ſimplices , jejunos, atque exangues.

Aſt ego de illis tantùm id ariolor, qui non è laudibus, ſed erroribus alienis ſuum ſibi decus exoriri poſſe arbitrantur; non verò de illis, qui alienâ gloriâ ſua deprimi haud verentur ; imò ejus inter ſplendores eluceſcere , ejuſque umbrâ nitere poſſe ſatis ſibi conſcii ſunt, de hiſque ſperare non poſſunt , quin perlibenter accipiant quas Luſitani Parnaſſi divitias hucuſque abditas, ac penitiſſimas, jam faciles, obviaſque propino.

Fateor nonnullis aliis, quæ Noſtrates ſcripſerunt, multis profectò luminibus ingenii litis id Corpus augeri poſſe ; aſt Veterum incuria blattis illa, tineiſque permiſit ; cùm potiùs cedro, cupreſſoque incidi deberent. Plura etiam diverſis orbis

partibus excuſſa, non pulvere cooperta, ſed ſcriniorum latebris forſitan jacebunt abſconſa; ibique perennabunt nobis penitùs ignota, ac inacceſſa: ſin autem perigrinationem aliquam ſuſcipere, magnaſque Bibliothecas excutere licèret, huic Corpori ſuccenturiari poſſent; ea verò, ſiqua ad nos pervenire contingat, in Appendice proferemus.

Interim nonnulla quorundam, quæ extant, publici juris facimus; neque enim ut exigua negligere æquum eſſe duximus; ſicut enim quodlibet ſpeculi fragmentum rei objectæ integram ſpeciem repræſentat, ita in quantulacumque Luſitanorum Poetarum parte, illorum ſpiritûs, venuſtatis, elegantiæ, ac numinis imago perſpicietur.

Præterea ut egregios plerumque Viros plures ſibi Nationes adoptare ſolent, eoſque, quos magnos vident, genuiſſe, ac procreaſſe jactant, haud immeritò credimus de nonnullis certatum iri, an Luſitano ſub Cælo ſint nati; nos verò, id admonitum volumus, ſcilicet, probatiſſimis

Digitized by Google

simis testimoniis ductos, eos Nostris annumerasse; quippe qui Exterorum penu haud indigemus.

Denique illud taciti nullo modo præterire possumus, nempe, hæc poemata quondam loculenter effusa, ad hæc meliora tempora feliciter sarta, tectaque fuisse conservata, ut eorum publicationis beneficium, quo nihil illustrius ad Lusitanam gloriam reparandam, augendamque excogitari potest, uni tantùm deberetur Augustissimo Regi nostro JOANNI V. utpote cujus imperio Corpus hoc illustrium Poetarum Lusitanorum fuit collectum, magnificis sumptibus excussum, Regioque sub Nomine in lucem proditum.

PE-

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRUS
SANCIUS
ULYSSIPPONENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA PETRI SANCII

Ulyſſipponenſis.

ETRUS Sancius patrem habuit Ludovicum Sancium, Hiſpanum, qui Catharinam Joanni III. deſponſam, è Caſtella in Luſitaniam comitaverat. Natus eſt Ulyſſippone, quam urbem ipſe multis carminibus poſtea celebravit. Pro addiſcendis politioribus Litteris Hieronymo Cardoſo, Lamacenſi operam dedit, ut ipſe de ſe teſtatur in Epiſtola ad Ignatium Moralium. Sub eo magiſtro, cui paucos ea ſæcula pares tulerunt, mirum eſt quàm intra breve tempus profecerit. Vixdum annum ſextum

Digitized by Google

ſupra decimum egreſſus, à Rege, cui chariſſimus erat, decoratus aurea torque, Domini noſtri JESU Chriſti Eques renunciatus eſt; additis præterea pinguiſſimis reditibus, quos barbarè Commendas vocant Supremo totius Regni Tribunali, quod Palatinum appellant, à Secretis fuit; quo munere, vel hodiedum ampliſſimo, nullum ea tempeſtate ſplendidius, honeſtiuſve in Aula erat. Nec tamen ſeveriores illæ curæ hominem ab Apolline, Muſisque ſevocarunt; quidquid enim temporis ſibi à negotiis vacuum erat, tum lectitandis alienis, tum pangendis propriis carminibus dabat, venâ ſic ubere, ut merito Naſo alter ſui ſæculi fuerit appellatus. Stylo uſus eſt maſculo, dictione grandi, planèque eleganti, atque perſpicuâ, & quæ nullas legenti moras necteret, ſolitus improbare eos, qui cum veſpertilionibus & noctuis in tenebris ſtridere, quàm cum oloribus in media luce canere malunt. A natura ita ad poëſim erat factus, ut vel nolens verſus effuderit; quin & numeros eo artificio aliquando celabat, ut Ludovico Pireſio omnium Luſitanorum Vatum ſolertiſſimo illam impoſturam ſtruxerit, de qua ille in Epiſtolâ ad Cardoſum mentionem facit. Epiſtolam enim, & quidem benè longam, carmine ita facili, ac ſponte fluente contexuit, ut Pireſius proſam orationem putans, totam prius hauſerit oculis, quam ei dolus patuerit. Hominum doctorum amicitiam, non æſtimabat tantùm, ſed & ſolicitabat, eosque ad mutua litterarum commercia laceſſebat; dolebatque viros gnavos ab Aula procul eſſe, ſolitus nimirum dicere, nil tam Reges decere, quam eorum contubernio, colloquiisque frui, quos Numen ab imperitâ, atque ſtultâ plebe ſecreverat. Hinc de technis neſcio quorum, qui Lucium Andream Reſendium è Palatio tantùm non exturbaverant, ſæpius expoſtulavit, ipſique

Digitized by Google

ipſique Reſendio perſuaſit, ut Regem frequentiùs adiret, ac loquaces illas ranas, quæ regias aures ingratiſſimis vocibus obtundebant, ad eloquentiæ ſuæ ſplendorem ſilere cogeret. Cui Reſendius, quem jam tædebat vitæ Aulicæ illius otio litterato contrariæ, in hæc verba repoſuit:

Tu tamen, atque alii ſimiles tibi, fertis acerbè
In re quòd tenui modo ſim, deſpectus ab Aula,
In quâ prima terunt umbræ ſubſellia viles.
Dic, quæſo, mala fata mea hæc tu reris, an Aulæ
Peſſima fata?

Ignatium de Moraés, Poetam ingenioſiſſimum, in cujus amicitiam ſeſe etiam inſinuaverat, viri pauperiem miſeratus, largis muneribus donavit, ne in quærendo victu tempus tereret, quod conſcribendis libris maximo Reipublicæ bono dare optabat. Quin & ſumptibus ſuis aliquot ejus opera prælo ſubdidit, haud paſſus ingenioſiſſima poëmata ſub ſcriniis, tineæ, blattarumque paſtus futura latitare. Haud minora dona in Hieronymum Cardoſum, celeberrimum Ludimagiſtrum contulit, fecitque ut illius Epiſtolæ lucem aſpicerent cum ingenti litteratorum tum illius, tum noſtri temporis plauſu, unum ſi excipias Gregorium Mayanſium, qui, nuper edito libro Epiſtolarum, eò arrogantiæ devenit, ut tum omnes Authores Epiſtolarum ferulæ ſuæ ſubdat; tum Cardoſum, imò & Oſorium, quem virum? male mulctare audeat; quod ego crimen miſeratione potius, quàm ſupplicio dignum exiſtimo; ac ea propter ab ejus reprehenſione calamum abſtineo, ne pœna ipſa fiat elatior, atque ſuperbior, utpote qui tantum nefas patrare potuit, illis Viris inſultans, quibus omnis doctorum turba libens aſſurgere conſuevit.

Digitized by Google

Eboræ in propriis ædibus, toto tempore, quo illic Reges morati ſunt, Academiam aperuit, in quam ſtatis diebus doctiores urbis confluebant, ibique tum proſas orationes, tum poëmata recitabant, ea lege, ut quisque ſibi Muſæ alicujus nomen confingeret, ſub quo verſus ſuos in vulgus daret. Quem morem ego nunquam adducar ut probem; lex enim illa in cauſa fuit, quamobrem hodie quorumdam operum ſub larvis illis ſcriptorum, veros Authores ignoremus. Porrò conſtat Sancium noſtrum Muſam ſuam Liliam appellaſſe. Poëmatia plurima conſcripſit, quæ Gaſpar de Faria Severinus illius pronepos adſervabat. Inter cætera eminebat Elegia in Mortem Infantis Cardinalis Alphonſi; de qua ipſe in Epiſtola ad Moralium mentionem facit:

——— Nos te, & tua funera quondam
Flevimus, Alphonſe, & gemitu, lacrymisque profuſis
Ad tumulum mœſtâ ter voce vocavimus umbram.

Extat præter parvam Epiſtolam ad Hieronymum Cardoſum, altera ad Ignatium de Moraes, in qua ille Poëtas omnes Luſitanos, qui Latinè ſcripſerant, quaſi mentem noſtram jam tum divinans, celebrandos ſuſcepit, eo fermè ordine quo Nos eos nuper celebravimus, nec dum lecto Sancii poëmate, in noſtro Enthuſiaſmo Poëtico, jam ter edito. Epiſtolam ad Cardoſum, inter iſtius Epiſtolas dabimus aliquando; illam verò, quam ad Moralium ſcripſit, veluti quemdam prologum Collectionis noſtræ fronti opportunè præfigimus. Nec Latinæ tantum poëſi operam navavit; extant carmina Luſitanicè ſcripta benè multa; quæ jam dedimus in noſtra Bibliotheca Luſitano-Poëtica.

Ex uxore nobiliſſima tres filios ſuſcepit, quorum Emmanuel

Digitized by Google

manuel maior natu, inſciis parentibus, furtim conſcenſa navi Tingim profectus eſt, ut æſtuoſas Africæ telluris arenas, aut ſuo, aut Maurorum ſanguine ſatiaret. Athanaſius Sancius, Aulæ Ephæbus fuit, vulgò Moço Fidalgo, *atque torquatus Eques Sancti Jacobi; qui Scalabi Trinitariorum inſtitutum amplexus eſt, annumque ætatis agens 73. non ſine veneni ſuſpicione ab Judæis propinati, è vivis abiit. Et hìc Latinam poëſim toto vitæ tempore excoluit ſæpeque tum parentem, tum Principes doctiſſimis carminibus dilaudavit, quæ utinam dediſſet, ſicuti ſe legiſſe teſtatur Georgius Cardoſus. Ludovicus Sancius Conimbricæ ad perdiſcendas Leges totus incubuit, non ante tamen quam Latinæ linguæ callentiſſimus eſſet, cujus myſteria, ipſo parente doctore, ita agnovit, introſpexitque, ut non multo poſt cum eodem de primatu certaverit, ſive ille proſam, ſive carmen ſcriberet, ut ex illius Epiſtola ad Patrem mox conſtabit.*

Erat Petrus ingenio mitiſſimo, ad quem proinde ſontes confugere ſolebant, ut ipſis apud Senatores Palatinos auxilio eſſet; quin & pauperes collato liberaliter auro ſæpiùs oneravit, nihil homini, præſertim ingenuo, turpius eſſe dicens, quàm omnium amorem tam parvo pretio ſibi non emere. Denique tantus Vir obiit Ulyſſippone eiſdem anno, die, atque hora, quibus uxor. Jacent uterque in Templo Patrum Trinitariorum, quo eorum cadavera, Antonio Principe jubente, cum ingenti pompa elata ſunt.

Illud unum lectorem monere volumus, Joannem Francum Barretum, Scriptorem ceteroqui diligentiſſimum, Sancium noſtrum Caſtellanis Authoribus accenſere, cùm ſe ipſe non uno in loco Luſitanum eſſe apertè fateatur, & Luſitanos ſuos appellet. In Epiſtola ad Moralium ait:

Hoc mirum læti cum noſtri bella capeſſant
Horrida Luſiadæ ——————
Teſſira, quem juvenem te Luſitania quondam
In Latias miſit noſtris de finibus oras,
Carmine qui celſæ ——————

Imò & Ulyſſipponem patriam ſuam, ſuumque concivem Michaelem Silvium, Epiſcopum Viſenſem vocet:

Silvius illuſtri Regum quoque ſanguine cretus,
Hac noſtrâ natus, noſtrâ hac nutritus in urbe.

De eo, ut de homine Luſitano, meminerunt PP. Franciſcus da Cruz, & Joannes Soares de Britto, ille in Bibliothecâ Luſitana manuſcripta; hic in Theatro Luſitaniæ litterario, quem librum ex autographo Authoris Pariſiis in Bibliotheca Regia aſſervato, exſcribendum curavit, Nobisque legendum obtulit præclariſſimus Vicecomes Villænovæ de Cerveira Thomas Telles da Silva, hujuſce noſtri Operis & laudator eximius, & aſſiduus adhortator.

AUTHO-

Digitized by Google

AUTHORUM
DE
PETRO SANCIO
Teſtimonia.

Epiſtola Ludovici Sancii ad Petrum Sancium Patrem ſuum.

LUDOVICUS SANCIUS
PETRO SANCIO PATRI
S. P. D.

PAlladiam nuper Virgo pervenit ad urbem,
Virgo ab Ulyſſeo littore miſſa mihi:
Feſſa quidem, ſed pulchra tamen, faciesque decora,
Purior intactis, candidiorque roſis:
Non illâ, pleno cum fulget Cynthia cornu,
Pulchrior, aut pelago cum Cytherea redit:
Non illâ conjux Tithoni gratior almum
Vere novo Eoo ducit ab axe diem.
Pulchior Auſoniis, niſi fallimur, illa puellis,
Quas Tybris, vel quas Mincius ipſe videt:

Digitized by Google

Nigra oculos, rubicunda genas, et flava capillos,
De nive Biſtoniâ pectora, colla, manus:
Hoc inerat ſolum, quod livor carpere poſſet,
E pedibus brevior Virginis alter erat.
Hæc ubi pulchra meos intravit Virgo penates,
Inſolito fulſit noſtra nitore domus;
Namque coloratis gemmis, nitidisque lapillis
Emicat, & vernas efflat ab ore roſas:
Admiror, lætusque meos meat ardor in artus,
Vixque datur tales ore referre modos:
O quam te memorem, Virgo, nam vultus honeſtus
Indicat è ſupero te remeaſſe choro:
O doceas, precor, ortum, & cur his hoſpes in oris?
Ne longâ laceres pectora noſtra morâ.
Tum mihi ridenti ſic Virgo eſt ore loquuta:
Unde ego ſim, dicam, pectora ſolve metu,
Hæc Ego, quæ refero chari mandata Parentis,
Pulchra ab Ulyſſeo flumine Nympha vocor:
Me tibi cum chartis Genitor, Ludovice, remiſit,
Teque ſalutatum, terque quaterque jubet:
Quot mihi præbuerint Nymphæ, fluviique canori
Hoſpitium, Juvenis, vix memorare queo:
Flumineas noſter Mondæ pervenit ad undas
Cæruleus currus, per vada vectus equis,
Ut ſtrepitum ſenſit, mediis caput extulit undis
Monda, laboratas cernat ut amne rotas:
Obſtupuit, pulchros ſubito tremor occupat artus,
Conanti fari lingua retenta fuit:
Atque coloratis poſtquam videt ire lapillis
Fulgentes noſtras per vada cæca rotas,

Ipſe

Ipſe meum ſubito numen reſupinus adorat;
Et faciles præbet lætus adire vias.
Lævia Mondiades redimitæ tempora ſertis,
Doctiloquis ſociant fila canora modis:
Aurea cæſaries illis, & lactea cervix,
Oraque purpureis candidiora roſis:
Grandiloquas miro modulantur gutture voces;
Hæc canit, hæc cytharam pulſat, & illa lyram:
Pulchra per undantes choreas agit illa paludes,
Exercetque leves altera Nympha pedes:
Inde legunt flores, violas, caſiamque, crocumque,
Albaque puniceis lilia miſta roſis:
Candida dehinc velant florenti tempora myrto,
Et facili nectunt florida ſerta manu:
Sic Nos hoſpitio ſuſcepit Monda benigno,
Ut maneam Nymphæ terque, quaterque rogant.
Mondiadum juſtis gratum parere rogatis
Poſtulat hoſpitium, ſed via longa negat:
At poſtquam diſperſa vident ſua vota per auras,
Monda locum noſtris præbuit altus equis.
Sic Ego Pieridum ſedes, & caſtra petivi,
Pulſat ubi Auſoniam doctus Apollo lyram.
Hanc ſimul excepi, verbis ſum fatus amicis;
Plurima quærenti reddidit illa mihi;
Hanc Ego conatus dictis retinere puellam,
De Patrio ut poſſem plura rogare foco
Fruſtra; namque leves aſcendit candida currus,
Et petiit patrias per freta vecta plagas:
Hanc cum mandatis Nympham, Pater optime, charis
Ad Nos, ſic valeas, mittere ſæpe velis:

Et

Et ſi, quod vereor, decorarim forte queraris
Carminibus, Genitor, carmina noſtra tuis.
Ne mirare, precor, non eſt tibi cauſa dolendi,
Cùm ſit juſtitiæ reddere cuique ſuum.

Hieronymus Cardoſus in Libel. Epiſtol. Epiſtola ad Ludovicum Pyrrhum.

PEtrus Sancius, vir, ut ſcis, nullis non numeris abſolutus, & noſtrum utriusque amantiſſimus, ad me verſus quoſdam, vel potiùs delicias meras dedit, quos cum oppidò quam libens lectitarem, ſtudioſiusque etiam retractarem, videbar plane vel Naſonem quempiam in illis contemplari, vel Muſas ipſas alternis concinentes audire. Quid quæris? Stupidum me, & elinguem prorſus reddidere, cum pedum juncturam tam aptè cohærentem, mollitiemque eorum delectabilem, candidum prætereà orationis ornatum, verborumque venuſtatem, quaſi nativam, attentus intuerer. Quæ profectò omnia nemini non ſummam voluptatem & dulcorem quemdam pænè incomparabilem concitarent: quibus Egomet, neſcio quo vel lethargo correptus & oppreſſus, vel importuniſſimis quibuſdam curis obrutus, reſcribere diſtuli.

Idem lib. 1. Elegiarum paulò poſt initium.

CUm bis, terque tuos, Sancti doctiſſime, verſus
Perlegerem, eſt miris mens recreata modis;
Namque voluptatis tantum, & dulcedinis hauſi,
Ebrius ut fierem, nec memor ipſe mei;

Et

Et mea cùm multo languerent membra dolore,
Inque meo vultu nil niſi triſte foret;
Totus abit, mihi crede, dolor, tum gaudia mille
Irrepunt, frons eſt exhilarata nimis.
Quid mirum? cum delicias, Veneresque referrent,
Et varios multa cum gravitate ſales,
Si poſſent omnes penitùs ſopire dolores,
Atque inſperatam reddere lætitiam.
Sed quid ego ———————————

Idem in eodem libro.

MUltum nempè tibi arrogare debes,
Et ſublime caput ſub aſtra ferre,
Sancti, præſidium unicum tuorum,
Et ſummum decus, & Poëta felix;
Ingens quòd tibi ſuppetat facultas,
Ut quidquid juvet, & velis, reponas,
Seu ludas elegos, canens amores,
Formoſæque tuæ notans puellæ
Triſtem duritiem, & ſeveritatem,
Aut vultum placidum, & nimis ſerenum
Oſtendiſſe tibi palam recenſens:
Seu Reges lituo tones potentes
Forti prælia miſcuiſſe dextra;
Seu Lesbî modulos ſequare plectri,
Aut mordacibus applicere jambis,
Quòd ſi oratio te juvet ſoluta,
Omnes antevolas, ſuperque fulges.
Sed quid multa? nihil remittis ipſe
Quod non perficias decenter, apte.

Dida-

Didacus Mendes de Vaſconcellos in hujuſce primi tomi, pag. 371.

PYrrhus noſter amor, tuique, Sanci,
Abſentis memor, intimo, pioque
In te pectore nemini ſecundus,
Pyrrhus Caſtalidum decus Sororum,
Pyrrhus Pæonia decorus arte
Gratam nomine mî tuo ſalutem
Reddens, dulciloquum ſimul venuſte
A te compoſitum obtulit poëma
Quo vix dulcius, elegantiuſve
Quidquam pangere vel queant Camænæ;
Nam dilemmata pulchra ſic figuris
Exornata nitent, ut arte mira
Eois rutilat monile baccis
Diſtinctum, aut viridi hinc & inde gemma.
Rebus conſona verbis ſponte manant,
Queis tantus ruis, ut fluente venâ
Admiſcens Latio Atticos lepores,
In morem rapidi vageris amnis
Imbres cùm bibit & nives ſolutas.

Georgius Cardoſus Agiologii Luſitani tom. 3. ad Diem 22. Maii in Commentar. lit. f. pag. 373.

NAs letras humanas teve grande nome, e por iſſo o reſpeitava tanto M. Reſende, conſultando-o muitas vezes como a Oraculo da Latinidade, e Poeſia, e aſſim

aſſim meſmo a ſeu filho Fr. Athanaſio, que foy inſigne Poeta Latino, como moſtraõ algumas Poeſias, que vimos ſuas, em louvor de ſeu pay, e dos Principes daquelle tempo, as quaes deramos de boa vontade neſte lugar, ſe o permittira a brevidade dos noſſos Commentarios.

Id eſt.

IN humanioribus Litteris magnam apud omnes exiſtimationem promeruit, quem proinde, veluti quoddam Latinitatis atque Poëſeos oraculum conſulebat Mag. Reſendius, ut & filium ejus Fr. Athanaſium, & ipſum Poetam Latinum magni nominis, ut teſtantur aliquot ipſius poëmata in laudem patris ſui, & Principum illius ævi, quæ vidimus, & quæ hoc loci libentes daremus, ſi Commentariorum noſtrorum brevitas pateretur.

Joannes Francus Barretus in Bibliotheca Luſitana, m. ſ.

TEve particular graça em os verſos Latinos, em que compoz muitas obras, que tem ſeu biſneto Gaſpar de Faria Severim, mas ſó chegaraõ a imprimirſe algumas em proſa, e verſo, que andaõ entre outras de Jeronymo Cardoſo. Hum Poema dos manuſcritos he a Epiſtola de Poetas Luſitanos, eſcrita a Ignacio de Moraes. E nas Obras de quaſi todos os Authores, de que elle faz memoria ha muitos Poemas eſcritos em louvor do meſmo Pedro Sanches, reconhecendo-o naõ ſó por alumno das Muſas, mas por ſuas excellentes

cellentes partes, como ſe vê daquella Ode, que o M. André de Reſende lhe fez; e de outras obras de Ignacio de Moraes, e do Doutor Diogo Mendes de Vaſconcellos, e outros muitos, que poderamos referir em prova de ſuas grandes partes, e merecimentos.

Id eſt.

IN pangèndis Latinis verſibus excelluit; quorum plures apud ſe habet illius pronepos Gaſparus Faria Severinus. Lucem ii tantum viderunt, quos ſimul cum Epiſtolis aliquot non ligatis edidit Hieronymus Cardoſus. E Poematis manuſcriptis unum eſt Epiſtola quædam de Vatibus Luſitanis ad Ignatium de Moraes. Infere omnium, quos laudat, operibus, plurima carmina leguntur in ejuſdem Petri Sancii laudem, quem ut Muſarum alumnum ceteroqui magnis dotibus excellentem, ſuſpiciunt; cujuſmodi rei teſtimonio ſunt, cùm Ode illa Mag. Reſendii, tum carmina Ignatii de Moraes, atque Doctoris Didaci Mendes de Vaſconcellos, aliorumque, quos illius meritorum teſtes producere facilè poſſemus.

Lucius Andreas Reſendius in Epiſtola ad ipſum Petrum Sancium, datam Eboræ nonis Maii 1542.

NUnc tua Muſa potens, tua me facundia Petrei,
Non modo ad alterutrum, quod niteris ipſe, reducit,
Verum etiam per utrumque rapit, quo diſſita longè,
Imò infeſta ſibi, ſecum pugnantia, credam.
Nam tua cùm ſtupidus demiror carmina, melle
Inlita Muſæo, fatum quibus adſeris, omni

Con-

Contempta id ratione probo, tribuoque malignis
Sideribus patimur quæcumque incommoda vitæ.
Quum rurſum expendo tua carmina, quæque malorum
Exempla adduxti, qui nunc plerisque videntur
Vivere felices ——————

Anonymus quidam ad Mirandam exul, cujus totam Epiſtolam damus, tum quòd Petrum Noſtratibus aſſerat, tum ne tam polita carmina diſperire contingat.

PEtre, decus Lyſiæ, cui dat luſtrare receſſus
Delius Aonidum, quà via rara patet:
Caſtaliisque haurire novas de fontibus undas,
Et facili docte flectere plectra manu:
Exul in ignotâ, nec non novus incola, terrâ;
En procul à patria cogor abeſſe domo,
Ac ſors extremis Regni me detinet oris
Impia, & ancipiti deprimit uſque rotâ.
Qua vitreus liquidis Durius natat undique lymphis;
Qua rapido gradiens flumine tranſit ovans,
Urbis & exiguæ procul haud nova mœnia cernit,
Quam male Mirandam ſecula noſtra vocant,
Quid memorem gentis mores, habitusque, locosque,
Quando aliis curis pectora noſtra rigent?
Heu miſerum! ſemper premet inclementia fati
Me, dabit & triſti ducere in urbe moras!
Nec mihi, quod cupio, obſequium præſtare licebit,
Petre tibi, aut inter nomen habere tuos!
Tu ſolum auxilium poteris præſtare dolenti,
Ne jaceat triſti mens mea fracta loco.

Non

Non igitur patiare meam langueſcere prorſus
Spem, quæ tota tuo pendet ab auxilio.
Sed potius concede, precor, mea vela ſecundis
Flatibus iratum ſcandere tuta mare:
Da patriæ tandem portus intrare patentes,
Qua Tagus auriferas commovet altus aquas;
Nam tu ferre potes, toto ſpectante Senatu,
Pro me ſupremo verba benigna foro,
Ne miſer ignotas cogar novus ire per oras
Incola, ne patiar tædia longa viæ;
Et ſic quidquid ero poſthac erit, optime, munus
Petre tuum, auxilium ſi mihi rite feras.
His igitur fretus cupio te inviſere, necnon
Hæc aperire ſimul, candide Petre, tibi.
Præcipuèque tuum verbis lenire dolorem
Qui premit ancipiti triſtia corda metu;
Dum Natus, proprii tetigit quem nulla dolentis
Cura Patris, verum gloria ſumma juvat,
Ut ruat intrepidè medios violentus in hoſtes
Te ſubito repetens Africa regna fugit;
Sed vetat inſolitus graviter qui corpora vexat
Morbus, & aſſiduè viſcera noſtra premit;
Attamen ut primum, penitus ſua priſtina robur
Sumpſerit, ipſe lares, & tua tecta petam.
Interea Superos felici ut ſidere vivas,
Et, precor, in longum ſtamina Parca trahat.

Tym-

Digitized by Google

Petruſ Perotti delin. Hÿeronimuſ Roſſi Sculp.

EPISTOLA
AD
IGNATIUM
DE MORAES.

Ymbræo chari, & Muſis hoc tempore Vates
Contempti, ſpretique jacent: fata improba lauros
Attrivére ſacras, Cirrhamque, et Apollinis ædem.
Non in honore Deæ, non ſunt in honore Poetæ:
Carmina vileſcunt. Video, doleoque malignâ
Te nunc ſorte premi, qui (ſi mala ſecla tuliſſent)

Digitized by Google

Dignus eras meliore foco, meliore culinâ,
Atque togâ meliore tegi, Moralis, in ore
Cujus Musa sedet, doctoque in pectore Phœbus.
At nunc quòd misero vilis tibi gobio cœnam
Præbet, nec mensis fervet scriblita secundis,
Mollia nec servi sternunt tibi lina Canopi,
Nec Canusina tuo componit stragula lecto
Verna satur, diri hoc est inclementia fati,
Et crimen, fortuna, tuum, quæ lege pudendâ
Deprimis atra bonos, atque alba extollis inertes.
Quid tibi, Moralis, sublimia carmina prosunt?
Carmina cincturis meritò laudanda Cethegis?
Quid dulces Elegi? Quid salsa Epigrammata? Quid vel
Archilochi numeri, nullo jam sanguine tincti?
Num tibi quis misit terso pro carmine libram
Argenti? Num vina dedit? Num munus aristæ?
Aut tunicam pexam, crepidas, tritosve cothurnos?
Cherilus ut quondam Pellæo carmina Regi
Non bene tornata offerret, tamen ille Philippos
Incomptus multos, et munera larga recepit;
Et tu, qui multò meliora poëmata pangis,
Sæpe fame obscænâ palles, et frigore sæpe
Horres, cùm Boreas gelidâ bacchatur ab Arcto.
Ergo miser plectrum Smyrnæ, Thressamque Neantho
Trade chelyn, fidibus qui duro pollice ruptis,
Non numeris, non arte valens demulceat aures,
Quas tua non potuit perdocta, et blanda Thalia.
Hoc mirum, læti cùm nostri bella capessant
Horrida Lysiadæ, & vitam pro laude profundant
Intrepidi, frangi nequeant, vincique recusent,

Casta-

Caſtalidum doctos quìd non venerentur alumnos,
Qui ſoli æternant heroum fortia geſta?
Numquid magna parens ſolum produxit Achillem
Magnanimum, fortem, invictum? Fortaſſe ducentos,
Aut etiam plures meliores edidit illo;
Sed quia laurigeri caruerunt munere Vatis,
Perpetuò in tenebris miſeri jacuêre ſepulti.
Nec genitus liquidas Phrygii Simoëntis ad undas
Qui, Troiâ everſâ, confectum ætate parentem
Eripuit flammis, ſolus pietate paternâ
Extitit inſignis. Multas habuiſſe putato
Orbem Matronas æterno nomine dignas,
Queis nec, mille procos quæ ſola eluſit hiantes,
Arria præſtiterit Pæti, nec Portia Bruti:
Et multos, magnoſque Viros, qui fortibus auſis,
Et qui conſilio valuere; at defuit illis,
Qui famam ipſorum celebraret carmine, Vates.
Hoc bene Mæcenas Vatum præſesque, paterque
Senſit, qui ſemper fovit, coluitque Poetas,
Quod propter legitur, colitur, laudatur, amatur,
Et vivit docto numeroſi carmine Flacci.
Senſit et Auguſtus moderator maximus orbis,
Qui meliùs duxit leges, Romanaque jura
Frangi, quàm ſævis permittere carmina flammis
Virgilii, et ſummâ vigilatos arte labores.
Illo læta tibi naſci ſi fata dediſſent
Tempore felici, cùm magna per atria Clio,
Pulchraque Terpſicore nomenque, decusque gerebant,
Non fatuas betas, non vilia durila ventri
Latranti ingereres, non igni rapula toſta,

Qualia Dentatus posito cœnabat aratro.
At tu ne credas, te solum tristia fata,
Fortunamque pati adversam; communia passim
Hæc mala sunt nostris hac tempestate Poetis.
Nam postquam lucro intenti de fronte pudorem
Expulimus, curæque fuit servire palato,
Et vacuo capiti vacuos imponere pyrgos,
Atque utres femori tumidos aptare voluptas,
Palladis, et Phœbi pulchras contempsimus artes:
Atque ideo absurdum, prorsùsque putamus ineptum
Laudari, postquam laudanda abjecimus ipsi;
Carmen amat, Vatesque colit qui carmine dignus.
Sed quamquam Musæ hîc merito fraudentur honore,
Nulla tamen tellus genuitque, aluitque Poetas
Temporibus nostris plures, neque candidiores.
(1) Cayadâ de Gente tibi venit Hermicus, ille
Hermicus Ausoniâ cunctis notissimus urbe,
Qui cecinit silvas, pecudesque, et numina ruris;
Quem sæpe inflantem calamos, et dulce sonantem
Tectus arundinibus summis audivit ab undis
Mincius ipse pater; fluctus, et ponere raucum
Jussit murmur aquæ labentis, ut altiùs aure
Attentâ molles numeros, et verba notaret;
Credebatque senex Musam, Manesque Maronis
Populeas inter frondes in vallibus illis
Errare, et silvas, sedesque revisere amatas.
Tu non inferior venerandus, Tessira, (2) canis,
Tessira, quem juvenem vix Lusitania quondam
In Latias misit nostris de finibus oras:
Carmine qui celsæ dum pingis mœnia Romæ

Ingen-

Digitized by Google

Ingentes ſeptem colles cingentia gyro,
Tybrimque, et flavas Tyberino in gurgite Nymphas,
Adſequeris blandum verbis, numeriſque Tibullum.
Sidera ſed poſtquam maiora ad fata vocarunt
Te, jam Cæſareo perdoctum jure Trebatum
Vincere qui poſſes, aut certè æquare ſuperbum,
Optatam repetis patriam, charosque penates:
Admiſſum poſthàc ad ſacra palatia Regis,
Ut des ſupplicibus populi reſponſa libellis,
Et Regis Natum inſtituas, Regemque futurum,
Non te pœnituit doctam celebrare Vacillam
Carminibus, pulchraſque iterum exercere Camænas.
At te, Rege ſate heros Emmanuele potenti;
Qui Tyrium ſyrma ornaſti, ſacrumque Galerum,
Ipſe canat Phœbus; nos te, et tua funera quondam
Flevimus, Alphonſe,(3) et gemitu, lachrimiſque profuſis
Ad tumulum mœſtâ ter voce vocavimus Umbram,
Magne, tuam, extremumque vale ter diximus. Eheu
Quantum præſidii docti amiſere Poetæ
Morte tuâ! quantum decoris Parnaſſia laurus!
Nam tibi ſemper erant cordi, doctiſſime Princeps,
Vates; muneribus Vates, vultuque fovebas:
Temporis et ſiquid tibi fortè vacavit ab almi
Præſulis officio, quod verbo, et rebus obibas,
Donaſti id totum Muſis, placidæque poëſi.
Subſequitur patruum, dejectâ fronte, Duartes (4)
Magnanimi Patris patriæ clariſſima proles
Divi Joannis, multùm celata parenti,
Non celanda tamen; nam virtus ſancta refulſit
In juvene à puero, dedit et notiſſima ſigna
Orbi,

Digitized by Google

Orbi, quantus erat maiori ætate futurus,
Ni longas in luce moras fera Parca negaſſet.
Funde iterum lachrimas, iterumque ad ſidera queſtus,
Optime Moralis, quales in funere alumni
Sparſiſti magni, & cœlum clamoribus imple.
Obtulit ille tibi tenero de pectore primos
Fructus, ut quondam Muſæus grata magiſtro
Carmina prima ſuo, citharâ qui fretus amatam
Flagitat Eurydicem Stygii inter tecta tyranni,
Et monſtra increpitis mulcet latrantia nervis.
Silvius (5) illuſtri Regum quoque ſanguine cretus,
Cujus et antiquos ortus ſibi concupit Alba,
Hac noſtrâ natus, noſtrâ hac nutritus in urbe,
Et Vidas, et Sinceros excelluit acri
Ingenio, miſſus Latias legatus ad oras:
Sidonio hic oſtro fulgens, rubroque Galero
Inter Pauſilypi lauros, myrthetaque ſacra
Sæpe intermixtus Nymphis, placidisque Napæis
Carmina perſonuit Muſis, et Apolline digna.
Nec ſonat illepidè pravam qui damnat Arius (6)
Stultitiam, quam quidam olim laudavit ineptè.
Ille Lycambeis qui crimina mordet iambis,
Et victura diu chartis Epigrammata mandat
Laurens, (7) quo gaudet Lacobrica dives alumno,
Conatur nomen docti obſcurare Catulli.
Cœlius (8) inſurgit, qui carmina ſchemate multo
Miſcens, verborum tentat candore referre
Illum, qui duri per tot diſcrimina Martis
Traxit in Emathiam Soceri, Generique furores.
Ad numeros facilem non te, Goveane, (9) tacebo

Qui

Qui ſic interdum laxis decurris habenis,
Præcipuè ſtolidi rides cùm dogmata Rami,
Ut Tagus in pontum, rapidos cùm combibit amnes,
Proruit, et campos latè diſſeminat auro.
Nec tibi fraterno conjunctum ſanguine Vatem
Subticeam, qui nomen habet, (10) quod Bilbilis alta
Indidit arguto mordacis fellis alumno;
Unguibus arroſis, Umbro jam Vate relicto,
Cynthia mirari, & vellet fortaſſis amare.
Tu quoque carminibus noſtris celebrabere, Pinte, (11)
Pinte, venenoſi qui ni mala pocula ſucci,
Nil lethale putans, avidè, cupidèque bibiſſes,
Æquaſſes Volſcum mordaci carmine Vatem:
At tibi mutarunt ſanam medicamina mentem,
Dextera zelotypæ tribuit quæ blanda puellæ,
Ut quondam magno Cæſonia dira marito.
Nec te præteream tacitum, doctiſſime Coſta, (12)
Atque tuum genium natum diſſolvere juris
Cæſarei nodos; cui primas jure cathedras
Munda dedit, Tormisque dedit, bene notus uterque,
Et fluvios inter Phœbo gratiſſimus amnis:
Tu, dum Regales menſas, thalamosque Duardi,
Carpathiumque Senem, nantesque ad littora Phocas,
Ludentesque canis ſpumoſo in gurgite Nymphas,
Ornatu, et poſitu magnis te Vatibus addis.
Tevius (13) attollit ſpecioſæ frontis honorem,
Qui Senecam verbis, et multo pondere rerum
Penè pari ſequitur greſſu, paribusque cothurnis.
Quis, Beliage, (14) tuum non defleat, optime Præſul,
Interitum? Cui præduras injecit acerba

Parca

Parca manus? ah quanta bonis jactura Camænis!
Nonne vides Mellum(15)rarò,sed docta loquentem,
Qui sine lege loqui erubuit, doctissimus atque
Antiquâ virtute senex, Regisque Senator
Integer, et nullo pretio corruptus avaro?
Hic lamentatur primi delicta Parentis,
Mortiferum rapuit vetitâ qui ex arbore pomum,
Et nunc heu seri luimus mala furta nepotes!
Describitque Virum, quem sic sapientia firmat
Adversum insidias, et technas dœmonis atri,
Ut nihil in cœlum stultâ sit voce locutus.
Et, Landine, (16) tuum, Præsul digniſſime, nomen
Cur taceam? lenesque modos, et carmina sacra
Hoc si litterulam demas de nomine primam,
Andinum dices re, et vero nomine Vatem.
O mihi Cardoze (17) à primâ dilecte juventâ,
Quem rapuit Libitina nocens, et funere tristi
Submersit caput, immaturaque morte peremit:
Te sibi subtractum doluit Parnassia rupes;
Nam tu formabas multos bonus arte poetas,
Et juvenes multos ad sacra cacumina Montis
Perduxti, qui longa tuum per secula nomen
Extendent, per quos toto cantaberis orbe.
Tu quoque,dum sūmis descendent montibus umbræ,
In mare declivi current dum flumina cursu,
Docta per ora Virûm volitabis, magne Resendi: (18)
Te querulo extinctum gemitu, sparsisque capillis
Thespiades, Nymphæque simul flevere Taganæ:
Atque hederas digitis flavâ de fronte virentes
Immixtas sacræ lauro decerpsit Apollo,

Fregit

Fregit et iratus citharas, et eburnea plectra.
Heu quot thesauri fœcundo pectore in illo,
Rerum antiquarum miracula quanta latebant!
Non plura edocuit Varro, Carmentave mater,
Veriùs aut cecinit Delphis oracula Phœbus.
Et te fleverunt Musæ, venerande Cabedi, (19)
Atque tui cives; funus Respublica multis
Produxit lachrimis, et fæmineo ululatu,
Consiliis orbata tuis, et legibus æquis:
Qui quamvis jussu maiora ad munia nostri
Cæsaris electus, semper tamen omine dextro
Addictus Musis, Musas, et carmen amasti:
Et Pelusiacum, qui personat ore trisulco
Inferni raptoris equos, Stygiosque hymenæos,
Tartareasque domos, tentabas vincere cantu.
Ecce tibi (ah Musis mala fata!) Cabedius (20) alter,
Cui juveni charo Cæi lugubria Vatis
Carmina tu juvenis quondam, lachrimasque dedisti,
Eripitur nobis, raptus florentibus annis.
Ah, miserande puer, rupisses si aspera fata,
Ah te quantus honos, te nomina quanta manerent!
Tu quoque crudeles expertus, docte Georgi, (21)
Lanificas Erebo genitas & nocte Sorores,
(Terribile, et precibus non exorabile numen)
Quæ tibi fila gravi properarunt scindere cultro,
Occumbis juvenis, sed non inglorius; omne
Nam tempus longos vitæ brevioris in annos
Produxti, quos ipse tuo cum carmine vives,
Carmine, quo miseræ deflesti funera plebis,
Et cladem, quam dira lues huic intulit urbi,

Cùm, cœli tractu vitiato, peſtifer annus
Heu! miſeros vivos morbo vexavit iniquo.
Hactenus amiſſos deflevimus ordine Vates,
Sed non (ut verum fateamur) diximus omnes;
Quorum fama tamen vivit, nomenque vigebit.
Nunc tibi percurram breviter quos novimus ipſi,
Quos colimus, quibus et Latium gauderet alumnis.
Doctarum Vaſconcellus, (22) pia cura Sororum,
Primus adeſt, Dircæus olor, qui nubila tranſit,
Et celeri ſeſe tollit ſuper aſtra volatu,
Cùm ſenſim niveas, audacesque explicat alas:
Ille, precor, dextrâ felices computet annos,
Cumææ numeret Vatis feliciter annos,
Sed juvenes, qui regna ſuis juveneſcere chartis
Efficit ingenti, atque pio regnata Sebaſto.
Hic licèt impendat ſacris bona tempora libris,
Sanctaque Pontificum doceat quid dogmata narrent,
Non tamen oblitâ Phœbi dulcedine plectri,
Illum æquat ſontes ſtruxit qui carmine Thebas.
Hunc olim Romæ lugentem funus acerbum
Divi Joannis laudati Principis, et quem
Ad Superos multùm defletum miſimus omnes,
Auribus arrectis Proceres, ſacrique Senatûs
Attoniti audivere Patres, Summusque Sacerdos
More Periclæo pro roſtris verba tonantem;
Et tale ingenium formari poſſe negabant
Vervecum in patriâ, & craſſo ſub ſidere naſci.
Et nos te meritò miramur, candide Amaral, (23)
Munere prætoris, qui fulges Regis in aula;
Et quamvis nec voce reos, nec fronte minaci
Terres,

Digitized by Google

Terres, ſed blando exerces tua munia vultu,
Te tamen, atque tuos faſces, & pectora flecti
Neſcia nec prece, nec lachrimis timuere nocentes.
Ni docta Italicus ſolviſſet Silius ora,
Carmine tu poteras Cannas ceciniſſe cruentas,
Ardenti & Paulum generoſo ſanguine terram
Fœdantem, et torvo obtutu, quem Lentulus ultrò
Offerret quo terga fugæ committere poſſet,
Quadrupedem contemnentem, ne Pæna viderent
Agmina magnanimum fugientem prælia Paulum.
Et Francus (24) poterat, Muſarum natus ad artes,
In patriam Minyas, dulcemque reducere Jolcon,
Quos immaturo præventus funere Flaccus
Phaſidis in ripa, Colchàque reliquit arena,
Ni maiora illum, melioraque geſta vocaſſent,
Ingratos quamvis ſumatque feratque labores.
Non procul hinc video Pindo duo flumina ſacro
Nymphis, et Muſis facili labentia curſu,
Serranum, (25) Pyrrhumque (26) meum, quos in arte medendi
Non ſuperent docti Podalirius, atque Machaon:
Ille canit numeros concinnos impare greſſu,
Quos tibi fortaſſis Getico de littore miſſos
A magno credas gelidi Sulmonis alumno;
His docet ille graves de corpore pellere morbos,
Et leviùs duram vetulis perferre ſenectam.
Hic autem Vatis Venuſini culta pererrans,
Prata legit, varios et ſpargit nectare flores,
Multaque epiſtoliis charis impertit amicis;
Solatur mœſtros, lætos hortatur ut omne

Quod rectum non eſt, fugiant, et carpit amaro
Interdum mores atros, et tempora verſu.
Aſt illi Regus (27) Lesboum ſurripit audax
Barbiton, et Lyrico modulatur carmina plectro,
Heroas, Divosque canens, laudator honeſti
Scrutator, quas dia parens natura creavit,
Rerum occultarum; ut fecit Lucretius olim
Ingenio miro, et mirâ Lucretius arte,
Ante venenatos potus, et Theſſala philtra,
Atque ante inſanos illæſo pectore amores.
Illum autem, digito quem monſtrat Martia Roma,
Orbis Roma caput, quo prætereunte, feneſtris
De ſummis pueri clamant, juvenesque, ſenesque:
Ille, ille eſt, certè ille eſt Luſitanus Achilles, (28)
Luſitana ſuis tellus geſtavit in ulnis,
Nutrivit, docuitque bonas noviſſe Camænas:
Incolat et quamvis diverſas transfuga terras,
Non tamen oblitus patriæ, fera prælia cantat
Quæ Rex Alphonſus, cui cœlo miſſa ſereno
Luſitanorum ſunt clara Inſignia, geſſit.
Nec minùs ille meus noſtra laudatur in urbe
Nonius, (29) et dignus qui toto laudibus orbe
Cantetur multis; qui multa volumina legum
Civibus et patriæ librum congeſſit in unum.
Hic, quamvis rebus magnis intentus, ad artes
Ingenuas Phœbi furtim dilabitur, atque
Dum canit optatos Saſii dulcesque hymenæos,
Provocat Auſonium docta in certamina Gallum.
Pintus (30) adeſt alter, Pintus, cui carmina ſæpe
Plura dedit Pæan, quàm præbent littora conchas,

Quàm

Digitized by Google

Quàm fert Hybla thymum, quàm Ladon volvit arenas:
Et quamvis multos Regis perductus in aulam
Ingenuos docuit juvenes, ſudavit, et alſit,
Attamen ille fame tabeſcit, penula ſemper
Ex humeris detrita cadit, toga pandit hiatus;
Et vetus inſidit veneranda in fronte galerus;
(Ne temerè hæc dicas te ſolum incommoda ferre)
At bonus eſt, doctus, ſimplex, vir candidus, ut ſi
Quisquam alius ſanctè noſtro nunc degit in ævo
Hunc ſequitur Barrus,(31)qui non ſic laxat habenas,
Nec celeri ſe fidit equo; nam ſæpe fugacem
Quadrupedem duris cogit parere lupatis,
Ille licèt terræ inſultet, greſſusque ſuperbos
Fervidus adglomeret, pedibusque repagula pulſet.
Bellicus ille ſenex, triplici qui corde tumeſcit,
Prælia qui cecinit Romani nominis, et qui
Belli ferratos poſtes, portasque refregit,
Andradio (32) cedet noſtro, ſub pectore cujus
Solùm bina latent, ſed nullo infecta furore.
Hic Latiâ jungat linguâ ſi carmina nervis,
Ad numeros videas Latias properare Camænas;
Si Luſitanâ tentet modulamina voce,
Ad numeros videas Muſas properare Taganas.
En tibi (ni fallor) generoſa, et vera propago
Præclari Mellî, Henricus, (33) qui damna rependit,
Et ſanat, quod fata mala inflixere Minervæ,
Lethiferum vulnus lachrimoſo in funere patris,
Qui non truncus iners jacuit, nec inutile lignum;
Nam patriæ ex illo virtutis filius heres
Adſurgit, veluti frondeſcit in arbore ramus
Aureus,

Aureus, et primo avulso non deficit alter,
Quo se placari exoptat Proserpina dono.
Hic tetricos gravitate senes, probitate parentem
Exæquat, nulli est utroque in jure secundus;
Et justè meritòque paterna sedilia complet,
Atque inter proceres primi loca sancta Senatûs
Jure tenens recto causas examine librat,
Innocuas fœdo servans à munere palmas,
Et si aliquod tempus supereſt à rebus agendis,
Non donat talo projecto ex orbe fritilli,
Sed Phœbo (patris exemplo) placidisque Camænis.
Nomina tantùm edam: magnus Pinarius (34) ille,
Vivida cui parvo virtus in corpore regnat:
Osoriusque (35) ingens, aurum cui defluit ore:
Almada (36) egregius; qui norit dixerit almum.
Hæc tetigisse satis: totum sunt nota per orbem
Cætera, nec tenuis poscunt præconia Musæ.
Hi quamvis populum Divinæ dogmata legis
Edoceant, serventque greges, ab ovilibus omnem
Avertant diram pestem, insidiasque luporum;
Sublimes Vatum tamen amplectuntur honores,
Sacraque de sacris meditantur carmina rebus:
Ut quondam plectro felici magnus Avitus:
Et qui Paschales ornavit carmine mensas:
Ut bonus Hispana fecit de gente Juvencus:
Ut doctè, et faustè Divus Prudentius olim:
Quique novale sacrum calamo sulcavit Arator,
Cui fluit ex humeris Tyrio de murice læna,
Tempora cui fulgent sacro insignita Galero.
Hæc sat erant nobis: et quid maiora requiris

Exem-

Digitized by Google

Exempla? Id quondam cœleſti numine Moyſes
Afflatus fecit, poſtquam perduxit amicum
In littus Populum, qui, undis hinc inde reſectis,
Fluctibus in mediis ſiccas calcavit arenas,
Hoſtiles fugiens turmas, ſævumque tyrannum,
Qui ſibi diviſas pelagi quoque credidit undas:
At poſtquam ſiccum callem intravere phalanges,
Continò pontus, qui, ut murus aheneus, antè
Frænatas cohibebat aquas, currusque, rotasque,
Arma, virosque ſimul, caput et Memphitidis aulæ,
Niliacasque acies rapido vorat æquore vortex:
Tunc Dux Hebræus, ſiſtrum pulſante Sorore,
Cantavit victor numeris pia carmina cœlo.
Quid loquar æterno cecinit quæ carmine David,
Ille Deo plenus David, Rex inclytus armis,
Et cunctos Vates toto qui vertice ſupra eſt?
I nunc, et ſacros poſthàc contemne Poetas.
Non contemnendus ſurgis, nobiſve tacendus,
Optime Monteri, (37) nulli probitate ſecundus,
Nec dulci eloquio Phœbeos inter alumnos:
Si ſciret fortuna æquâ perpendere lance
Præmia danda bonis, ſanctos ſine crimine mores,
Tu meliore loco, meliore in parte theatri
Sediſſes, qui, dementi ambitione remotâ,
Divitias ſpernis, contentus vivere parvo.
Et licèt à Muſis abducant utraque jura,
Quæ doctè, et rectè calles, quibus omnibus horis
Invigilas; tamen ad doctas, quas ritè Sorores
Et puer, et juvenis coluiſti, ſæpe recurris:
Atque pedes ſumis Persî, cùm ſeria tractas;

Cum

Digitized by Google

Cum ludìcra, modos, ſed caſtos, Vatis Iberi.
Adde illum juvenem, cui nomen Præſulis almi
Impoſitum, (38) veteri latuit qui tempore multo
Ciſternâ, et vivus jacuit jam penè ſepultus,
Teque, tuumque timens, Ari ſcelerate, venenum.
Huic puero primam tribuit Conimbrica palmam,
Inter et æquævos concedit laurea ſerta,
Qui citharam pulſans Lesboo pectine Sapphûs
Non obſcœna canit, ſed Divis dulciter hymnos.
Adde et Petreium (29) Roderico patre creatum,
Egregium juvenem, celebres qui divite venâ
Deſcribit ludos urbis, feſtasque choreas,
Ardentesque auro currus, gemmisque decoros,
Pegmataque, et longo deductas ordine pompas,
Quas celebrare ſolet prædives Olyſſipo magnis
Sumptibus, æthereæ recolens miracula Cœnæ,
Poſtquam Ledæos juvenes permenſus Apollo
Horrida conſcendit ferventis brachia Cancri.
At tu quid celas, Lodoice (40) ingrate Camænis,
Carmina, quæ Pæan dociles infundit in aures
Sæpe tibi? Nobis non ſis, precor, invidus, et quæ
Delius ipſe dedit, patriæ impertire libenter,
Ad maiora licèt potioraque ſemper anheles.
Hi tres, deliciis ſpretis, laribusque paternis,
Cordati juvenes multò meliora ſecuti
Nunc Solymos Vates, ſanctæque Volumina legis
Exponunt de ſuggeſtu, monituque potenti
Terrenas hominum rapiunt ad ſidera mentes.
His ſeſe quartum bonus addit Theutonus (41) almâ
Carmeli de Gente, Patrum cætuque piorum,

Corpore

Corpore qui terras habitans, ſed mentibus æthram
Theutonus, et vitâ inculpatâ, et moribus æquis,
Quamvis non æquis oculis hunc innuba Pallas
Aſpiciat, quoniam, ſpretis Permeſſidos undis,
Ad latices alios furtim ſe tranſtulit erro.
Dicendus maiore tubâ jam Tevius (42) alter
Prodeat, innocuo voluit qui rure latere,
Urbanos damnans ſtrepitus, aulamque peroſus;
Ultro cui quondam juveni ſublime tribunal,
Lictores, ſellam, faſces dedit inclyta Sena.
Hic cecinit blando pulchras heroidas omnes
Carmine, Sena, tuas, populos in pace gubernans;
Unde tulit juſti Prætoris, et unde Poetæ
Inſignis nomen; talem hunc nimis invida nobis
Celat, ſed nimiùm ſibi provida, Brachara furto.
Et procul hinc alius Mirandâ degit in urbe
Teſſira (43) cui virtus juveni maturior annis,
Cui frontem cingunt immixtâ baccare lauro
Muſæ, ne tenero noceant mala murmura Vati:
Propter quem linquunt Parnaſſum, et Theſſala tempe,
Peneumque patrem, nemoroſa, et florida rura:
Et ſcopulos, Miranda, tuos, inamænaque tesqua
Incolere exoptant, ut Vate fruantur amato.
Sic quondam Phœbe capta Endymionis amore,
Cœleſti delapſa plagâ, ſub nocte ſilenti
Oſcula dilecti per Latmia ſaxa petebat.
Ecce autem rapto pro Coſtâ Coſta (44) ſecundus
Lætus adeſt, cupidus triſtem ſarcire ruinam,
Quæ nos oppreſſit miſerando funere primi.
Præfuit hic olim, juvenis cùm floruit ætas,

Gymnaſiis, docuitque tuos, Conimbrica, cives
Ingenuas artes, Geticâ procul inde repulsâ
Barbarie, quæ læta tuis regnabat in arvis.
Theutonus(45)alter adeſt,peperit quem caſta,Georgi,
Silvia chara tibi, digno conjuncta marito:
Te Tranſcudanos populos in pace regentem
Natis, atque piæ uxori ſæviſſima Parca
Eripuit, cùm Maieſtas jam Regia vellet
Præmia digna tuis meritis conferre, tibique
Sedem inter Patres primi adſignare Senatûs.
Theutonus hoc genitore ſatus, non degener ipſe,
Sed patriis ſemper virtutibus æmulus, omni
Conatu aſſequitur veſtigia clara parentis:
Et mites, quamvis ſacro bene jure peritus,
Attamen has coluit Muſas, laurumque momordit:
Nec taceam Gerium, (46) ficto qui nomine ſimas
Incuſtoditas linquens in monte capellas,
Silveſtrem viridi ramo ſuſpendit avenam;
Paſtoresque vocat, Dryadasque, et Numina ruris,
Infanti ut carmen recinant, qui miſſus ab æthrâ
Sidereâ in terras, ut noſtra piacula ſolvat,
(Victima grata Patri) portas patefecit Olympi,
Atque ſuo noſtras deterſit ſanguine ſordes.
Mœrorem ferrent graviùs de funere Cœlî
Aonides, ni Pimpleis de collibus alter
Cœlius (47) exoriens, veluti qui Phoſphorus almam
Evocat Auroram, lachrimas ſiccaſſet obortas,
Atque illis juſtas removeret ab ore querelas.
Huic caput exornat variis de floribus Evan
Serta intertexens hederis, lauroque fugaci:

Huic

Huic tripodas Phœbus, totumque Helicona recluſit,
Quosque ore afflaſſet docto, dedit ipſe poetas.
Ecquid? Legiſti dulciſſima carmina Coſmî, (48)
Selectâ cingit Pæan cui tempora lauro,
Et lemniſcatas dat habere in fronte coronas?
De grege Apoſtolico Patrum, cœtuque ſacrato,
Qui fidens verbis veri, æternique Magiſtri,
Abjecit collo peram, manibusque bacillum,
Et peragrat multas urbes, diverſaque regna,
Ut doceat gentes, quæ ſit via recta ſalutis.
Innumeros poteram doctos, celebresque poetas
Dicere, quos Ebora, et dulci Conimbrica lacte
Nutrivit, famàque dedit clareſcere; ſed nunc
Emmanuel, (49) Gaſpar, (50) Lodoicus, (51) Cœlius, (52) atque
Alvarus, (53) et Coſmus (54) tibi ſint exemplar, ab illis
Diſce alios, ſimilique puta candore nitere.
Hæc forſan corrugatâ, Moralis (55) amice,
Fronte legis, torvisque oculis, invitus et audis
Clara recenſeri tot, tantaque nomina Vatum:
Num tibi ſe Muſas ſoli exhibuiſſe putabas,
Ut quondam ſeſe juveni indulſere videndas
Servanti pecudes umbroſæ in vallibus Aſcræ?
Haud ita Theſpiades, haud ſic ſe geſſit avarè,
Vatibus ut paucis Phœbus ſua ſacra revelet.
Plurima adhuc ſupereſt magnorum turba virorum,
Quæ memoranda venit, tantum mihi Muſa canent
Si modò jam faveat, quantum illis favit Apollo.
Hinc tamen incipiam. Noſti Vincentius almus
Ædem quâ colitur noſtram delatus in urbem,

E Promontorio Sacro, quod littore in æquor
Excurrens pelago mucrone minatur acuto?
Hic multi, non obſcuri, ſed lumine clari
Æthereo juvenes poſtquam ſacra carmina Divo
Alternis cecinere choris, et thura dedere,
Ingenia exercent hymnis, et carmine agonem
Divorum recolunt, et partas ſanguine palmas.
De multis referam tibi tres tantummodò, quos tu
Inter Apollineos Vates fateare locandos.
Coſmus (56) primus erit, ſis tu, Lodoice, (57) ſecundus,
Tertius à fructu, conciſo nomine, dictus
Fructoſus, (58) fructus qui et flores fundit odoros,
Cùm faciles elegos, vel cæca ænigmata pingit.
Nec te, Mendeſi, (59) fraudabo hoc munere, cujus
Carpere livor edax non poſſit amabile carmen;
Ille licèt pulchram cupiat mordere Dionem,
In dominasque aliquid blateret carbone notandum,
Vellet, ſi indoctus, tibi ſe præbere docendum
Amphytrioniades, tantoque ſubeſſe magiſtro:
Non præceptoris citharâ contunderet ora,
Ora Lini inſontis, nec quidquam tale merentis:
Dedecus heu magnum quod nullum diluet ævum!
At quamvis tardet Divini Numinis ira,
Non tamen oblita eſt culpas punire nocentûm;
Namque ille infeſtus Divis, qui pulſus Athenis,
Quòd nullum coleret numen, nullosque putaret
Eſſe Deos, quondam ſervus, ne ligna coquendis
Deficerent rapis, malè coctaque cœna periret,
Herculis effigiem, quæ antiqua ſtabat in ara,

Corri-

Corripiens, pectus, costas, atque ulmea crura
Dissecuit ferro, et tepido subjecit aheno:
Sic variat fortuna vices, nec pertulit ullum
Ire scelus sine vindicta, nec crimen inultum.
Huc, precor, huc oculos, Moralis, flecte: videsne
Insignem juvenem, pulchris qui fulget in armis,
Atque hederâ cingit galeam, lauroque coronat?
Ille est Quadratus (60) generoso sanguine cretus.
Nonne vides faciem ingenuam, et grande instar in ipso?
Hic quondam nostras puerili ætate Camænas
Dilexit, quas nunc juvenis veneratur, amatque,
Exercetque libens, nimiùm dilectus ab illis,
Et Phœbo charus; qui quamvis Martia bella
Tractet, et armorum crepitu, clangore tubarum
Gaudeat, atque alacri hinnitu lætetur equorum;
Non tamen Aonidum fontes, lucosque reliquit:
Exemploque suo nobis ostendit aperto,
Numquam Musarum cœtus, flavamque Minervam
Enervare animos, aciemque retundere ferri.

Cætera desiderantur.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ
IN PRÆCEDENS POËMA.

(1) HErmigius Cayadus, Jureconſultus, Ulyſſiponenſis Poeta ingenioſiſſimus.

(2) Ludovicus Teyxeyra Græcè, Latinèque doctus, Ulyſſiponenſis, Angeli Politiani diſcipulus.

(3) Alphonſus Infans, Emmanuelis I. filius, S.R.E. Cardinalis tit. S. Luciæ, mox S. Blaſii, demum Sanctorum Joannis & Pauli, Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis.

(4) Eduardus Joannis III. nothus, Archiepiſcopus Bracharenſis.

(5) Michael da Silva, Epiſcopus Viſenſis, S.R.E. Cardinalis.

(6) Arius Barboſa, Averienſis, Florentiæ in Italia Politiani diſcipulus, in Academia Salmanticenſi humaniorum litterarum Profeſſor egregius.

(7) Laurentius de Caceres Silvenſis, Infanti Ludovico à ſecretis.

(8) Georgius Coelho, Henrico Cardinali Regi à ſecretis.

(9) Antonius de Gouvea, Pace-Julienſis, Jureconſultus.

(10) Martialis de Gouvea, prædicti frater, humaniorum litterarum Profeſſor Conimbricæ.

(11) Georgius Pinto, Ulyſſiponenſis, Poeta Comicus.

(12) Emmanuel da Coſta, Jureconſultus, cognomento Subtilis.

(13) Di-

Digitized by Google

(13) Didacus de Teyve, Bracarenſis.
(14) Melchior Belliago, Portucalenſis, Epiſcopus Feſſenſis.
(15) Joannes de Mello de Souſa, Turrenovanus, Senator Regius.
(16) Petrus Alvares Landim, Prior Aviſienſis, Sebaſtiani I. Eleemoſynarius privatus.
(17) Hieronymus Cardoſo, Lamacenſis.
(18) Andreas de Reſende, Eborenſis, vir incomparabilis.
(19) Michael de Cabedo, Setubalenſis, Senator Regius.
(20) Antonius de Cabedo, Setubalenſis, Clericus.
(21) Georgius Rodrigues, Ulyſſiponenſis.
(22) Didacus Mendes de Vaſconcellos, Eltere-Chanus, Canonicus Eborenſis.
(23) Melchior do Amaral, Ulyſſiponenſis, Jureconſultus.
(24) Ludovicus Francus (quem alii Franciſcum) Ulyſſiponenſis.
(25) Lupus Serraõ, Medicus, Eborenſis.
(26) Didacus Pires.
(27) Simon do Rego, Ulyſſiponenſis.
(28) Achilles Statius, aliis Eborenſis, aliis Vidigueyrenſis, aliis Ulyſſiponenſis, vir eruditiſſimus, S. Pio V. à ſecretis.
(29) Eduardus Nunes, Eborenſis, Jureconſultus.
(30) Antonius Pinto, poſt Antonium Pinheiro, Magiſter Aulicorũ Puerorũ, vulgò: *Moços Fidalgos.*
(31) Didacus de Barros, Ulyſſiponenſis.
(32) Petrus de Andrade Caminha, Infantis Eduardi Aulicus. (33) Hen-

Digitized by Google

(33) Henricus de Souſa, filius Joannis de Mello de Souſa, Conimbricenſis, Senator Palatinus.
(34) D. Antonius Pinarius, Portodomæus, Epiſcopus Lerienſis.
(35) D. Hieronymus Oſorius, Epiſcopus Silvenſis, quem nominare laudare eſt.
(36) D. Emmanuel de Almada, Epiſcopus Angrenſis, Ulyſſiponenſis.
(37) Chriſtophorus Monteiro, Ulyſſiponenſis.
(38) Athanaſius ..... Conimbricenſis.
(39) Petrus Fernandes, Ulyſſiponenſis.
(40) Ludovicus Soares, Ulyſſiponenſis.
(41) Fr. Theotonius ..... Carmelitanus, Conimbricenſis.
(42) Balthaſar de Teyve, utriusque Juris Doctor.
(43) Gregorius Teyxeyra, ut ait Barreto, Mirandenſis.
(44) Joannes da Coſta, Jureconſultus, Algarbienſis.
(45) Theotonius da Silva, Ulyſſiponenſis.
(46) Gerio Fernandes, vel Coelho.
(47) Franciſcus Coelho, Jureconſultus.
(48) Coſmas de Magalhaens, S. J. Bracarenſis.
49, 50, 51, 52, 53, 54. De Poetis ſub his numeris contentis nihil abſque temeritate differere poſſumus, cùm Nobis prorſus ignoti ſint.
(55) Ignatius de Moraes, Mogadourienſis.
(56) D. Coſmas de Freytas, Conimbricenſis, Canonicus S. Crucis.
(57) Ludovicus Alvares Cabral.
(58) De Fructuoſo nihil me legiſſe memini.
(59) Petrus Mendes, Ludimagiſter Setubalenſis.

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO

Jure conſultus.

ULYSSIPONENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA HERMICI CAYADO, JURE CONSULTI Ulyſſiponenſis.

HERMICUS CAYADO Ulyſſipone, non obſcuro loco, natus patrem habuit Alvarum Cayado, matrem vero Annam, ſpectatæ probitatis feminam. Pueritiam vix egreſſus pro addiſcendâ Grammaticâ Rhombo operam dedit, qui vir per ea tempora Humaniorum Litterarum ſcientiâ magnam apud omnes exiſtimationem nactus fuerat. Erat Hermico ingenium vehemens, acre,

& ad maiora, quàm tunc in Urbe patriâ doceri poterat, anhelans. Itaque in Italiam cogitare cæpit, quod quidem desiderium magis acuebat Angelus Politianus, vel apud Nostrates, tunc temporis (id enim, etsi pudor renuat, dicendum) bonarum Artium ut plurimum contemptores, famâ notissimus. Haud obstiterunt Hermico Parentes, qui & ipsi de filio nescio quid solito maius sperare cæperant: quare obtentâ facultate à Rege, apud quem Alvarus Hermici pater plurimùm valebat ob res domi, militiæque præclarè gestas, eum Bononiam ad Leges Cæsareas perdiscendas, viatico, uti par erat, largo, & lauto, instructum dimisere. Verùm Hermicus ab eo studio, in quo nihil amæni, jucundive reperire queas, vehementer abhorrens, ad politiores litteras se totum convertit. Florebat tunc Bononiæ Cataldus Parisius, natione Siculus, vir Phœbo, Musisque apprime deditus. Huic se Hermicus non docendum, sed expoliendum tradidit; atque intra breve tempus factum est, ut discipulus magistrum superaret, nullo tamen fastu, arrogantiâve, ei siquidem, quidquid in Poesi profecerat, acceptum semper retulit, quod & posterorum memoriæ tradere constituit scripto sequenti Epigrammate

Otia siqua tibi fuerint, si quando vacabit,
Versiculos nostros, docte Catalde, leges:
Versiculos, è fonte tuo quos hausimus, & quos
Dictare haud dubiè visus es ipse mihi.
Formasti ingenium primus, primusque per altos
Duxisti lucos, antraque Pieridum:
A te principium Musæ, tibi nostra Thalia
Supplicat, & se vult te genitore satam.
Mirari noli, si degeneravimus usquam,
Nam liquido interdum manat ab amne lutum.

Bono-

Bononiâ Florentiam ad Angelum Politianum adiit, eloquentiæ ſitim, qua totus exardebat, eo uno in fonte ad ſatietatem expleturus; cui, ut hominem ſibi faciliùs conciliaret, carmina ipſius laudibus plena obtulit; quæ ut clarum ingenii ad Muſas nati ſpecimen ſuſpiciens Politianus, adoleſcentem in diſciplinam, ac familiaritatem libens accepit, ſperans fore, ut brevi ad Parnaſſi culmina, Pegaſeos latices uno hauſtu ſorpturus, aſcenderet. Neç concepta de diſcipulo ſpes magiſtrum fefellit. Florentiæ in apertum vitæ periculum incidit, dum enim ruri in vivario natat, ſubito frigore correptus pene animam efflavit: rem ita, ut evenit, narrat in Eclogâ ſecundâ, in qua & Politiani ſui mortem deflet. Plurimas Italiæ urbes peragravit, in quibus litteratos quoſque ſibi devinxit, ſolitus quacumque iſſet, digito, vel à turbâ, commonſtrari cum hoc elogio: Ecce vadit Theca Apollinaris, *quo ille titulo beari ſe profitebatur. Eclogas à ſe compoſitas Bononiæ coram illius Civitatis viris primoribus, in domo Roberti Lantoni Angli, & Mini Roſcii Dictatoris, inter omnium plauſus, & acclamationes bis actitari vidit, unde illi tanta in eo ſcriptionis genere de ſe opinio, ut ne Virgilio quidem apud ſe primas concederet; Quin & idem haud obſcurè ſubindicare viſus eſt in Epiſtolâ ad Herculem Ducem, cujus hoc eſt initium:* Virgilius decem Eclogas, Ego dumtaxat novem edidi, ne cum Poetâ eminentiſſimo certare de numero viderer. *Silvas in vulgus tres tantùm dedit, quarum primam Bononiæ inter amicos pronunciatam Thomæ Vintonienſi Epiſcopo Anglo, Lantono ſuadente, dedicavit. Secundam paulo longiorem ad Tribunos plebis Bononienſis, in Senatûs ipſius aulâ frequentiſſimâ, pro roſtris pronunciavit, quam & Benedicto Barbatiæ inſcripſit. Tertiam ſacravit Renerio Jacobello, viro ſui imprimis amiciſſi-*

mo, in qua pulcherrimam quatuor filiorum ejus indolem, mores, ingenium laudat. Epigrammata panxit bene multa, quorum aliqua (cætera perierunt) simul cum Eclogis, ac Silvis in duos libros digesta Ludovicus Teyxeyra, Lusitanus, excudenda curavit Bononiæ typis Benedicti Hectoris anno 1501. Mirum, quanta existimationis, famæque acceptio ab hoc libro edito Hermico contigerit. Omnes ejus ingenium ad astra tollere, mirari, ac publicis, quacumque illi esset transeundum, laudibus afficere. Porrò hi plausus hominem, in pulvere suo jam currentem, fortiùs impulere, & ab studio Juris, in quod unum ex præscripto Patris totus incumbere debebat, penitus avocarunt; usque adeo, ut avunculo suo Nonio Cayado in eum ob neglectum genitoris imperium acriter invehenti, &, ut Musis jam modum imponeret, suadenti in hæc verba responderit:

Discere me cogis, Noni, Civilia Jura,
Et donare jubes jam mea plectra rude.
Dulcia quis trucibus permutat carmina rixis?
Quis præfert nostris jurgia rauca jocis?
Sunt Leges lachrymæ, quæstus, perjuria, lites,
In vetitumque nefas, implicitique doli.
Quis sordes æquis oculis spectare reorum,
Quis fletus duro pectore ferre potest?
Men nugas audire fori mendacia? vanis
Men præbere aures causidicis faciles?
Ut juvat historias, veterum monumenta virorum,
Perlegere, & mores inspicere inde hominum.
Quid referam arcanâ sensus in nube latentes?
Quid referam obstrusis mystica sacra modis?
Adde & convexi clarissima lumina mundi,
Et rerum causas notitiamque deûm.

Hæc

Hæc ego, Pactolum ſiquis mihi tradat, & Hermum,
Non vendam, eſt cunctis vitaque, morsque eadem.
Quod ſi divitiis opus eſt, fulvoque metallo,
Eſſe inopes Muſas non patiere mihi:
Tecta Ducum ſubeant alii, Procerumque penates,
Tu mihi pro cunctis Regibus eſſe potes

Offenderunt hæc Nonium, virum, uti conjici licet, ſubauſterum, & ab Apolline omnino alienum. Itaque contemptæ admonitionis ſupplicium fuit ablatio pecuniarum. Hinc omnium rerum egeſtate Hermicus laborare cæpit, deficiente qui ad victum, & veſtitum neceſſaria præberet, de quo apud Bartholomæum Blanchinum, Poetarum, & Pictorum patronum munificentiſſimum, queſtus aliquando eſt:

Nocte, dieque famem patitur, Blanchine, Poeta,
Incedit nudus pene Poeta miſer:

Cæterùm ne tanto quidem malo edoctus ad Leges animum applicuit, imò Muſas in dies ardentiùs colere perrexit, ſibi tantum in ſtudio Poeſis arrogans, ut aliquando exclamaverit:

Non Ego prætulerim auratis laquearibus ædes
Ingenio tenui, carminibusque meis;
Namque mihi æternum nomen promiſit Apollo,
I nunc, Attalicas, improbe, confer opes.

Quin & ſe ipſum Gentis, & patriæ ſuæ ornamentum dicere non eſt veritus in Eclogâ tertiâ, quam Georgio D. Joannis II. filio, Averii Duci ſacravit:

Jam Tagus Aonias inter numerabitur undas:
Cui non tantus honos fuerit, nec gloria maior,
Divite quòd fulvas ripâ deducat arenas,
Indigenæ quàm quòd Vatis lætetur honore:
Mintius alter erit: Bethim poſt terga relinquet,
Heſperios inter ſemper celeberrimus amnes,

Notior

Notior Eridano fluviorum Rege : nitentis
Hoc, Nymphæ gaudete Tagi, gaudete Poetâ.

Hæc ut primum reſcivit Nonius, precibus ab Emmanuele Rege contendit, ut ipſe imperio ſuo reluctantem Hermicum ad perdiſcendos Juris Canones, interdicto Parnaſſo, urgeret. Nec abnuit Rex benevolentiſſimus. Itaque paruit Hermicus ei, cui non obtemperare nefas eſſet nullo ſupplicio expiabile. Leges brevi ſic calluit, quaſi non coactus addiſceret; ſiquidem vixdum elapſo triennio à Regis juſſu, cum ingenti omnium admiratione Doctorali laureâ decoratus eſt Patavii. In hac urbe die 23. Octobris anno 1503. publicè orationem habuit de laudibus Juris, quam magno auſcultantium plauſu exceptam poſtea Venetiis edidit Bernardinus Vitalis initio anni ſequentis. Juriſconſultorum Collegio demum adſcriptus, Poema Epicum, in quo neſcio quem Heroem de familiâ Contarenâ laudandum ſuſceperat, expolire aggreſſus eſt. Verum intempeſtivus ejus reditus ad patriam, quò eum vi, ac minis ad togam Nonius, cæterique conſanguinei vocitabant, in cauſâ fuit, quam obrem ab eo Opere perficiendo, eden loque manum amoveret, non ſine ingenti univerſi Parnaſſii Coetûs jacturâ, &, (ut puto) dedecore Nonii illius, Muſarum hoſtis improbiſſimi, ac de Rabularum vulgo tantùm benemeriti. Itaque ex Italiâ in Luſitaniam rediens Hermicus Ulyſſipone in urbe patriâ ſedem fixit; nec ibi diu moratus eſt; ſiquidem ægrè ferens leguleium, neſcio quem, ſibi à Rege præponi in adeptione cujuſdam Magiſtratûs, quo ille ſe honore multo digniorem judicabat, in villam ſuam in Bemficano agro ſitam, nunquam reverſurus, ſeceſſit. Eo loci fortunam ſuam indignatus, præmœrore tabeſcens, diem ſupremum obiit. Fuit corpore obeſo, ſaturâ mediocri, ſermone feſtiviſſimus, & in reſpondendo ad objecta promptiſſimus.

Magna

Digitized by Google

Magna ei cum ſummis Viris, quotquot per ea tempora floruerunt, conſuetudo interceſſit. Illius Opera ubique celeberrima, in ſolâ Luſitaniâ vix paucis nota, paucioribus viſa, & à multo paucioribus lecta, Nobis poſt annum vigeſimum octavum ſupra ducenteſimum iterum excudenda, nec rogatus, obtulit Vir ille litteratiſſimus, & in fovendis litterarum amatoribus nulli ſecundus, Excellentiſſimus Comes da Ericeyra D. Franciſcus Xavier de Meneſes.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUTHORUM DE HERMICO CAYADO testimonia.

Philippus Beroaldus in Epistolâ ad Ludovicum Teyxeyra Lusitanum editâ Bononiæ.

EST Hermicus Lusitanus in condendis Poematis ingeniosus, elegans, florulentus: habet Venerem, habet salem. Sunt illi verba Latina, sententiæ poeticæ, versus emuncti. Concludit ex Epigrammatistarum lege decenter, & salsè. Ego quidem antiquos Scriptores suspicio, non tamen, ut recentiores despiciam. Et mehercules, cùm Hermici versiculos bene tornatos, cùm scripta tua doctrinam Græcam, Latinamque mirè redolentia perlego, subit recordatio, Hispaniam sæculo prisco maximos Philosophos, facundissimos Oratores, clarissimos Poetas peperisse: quæ nostro quoque ævo, cùm haudquaquam effæta sit, pariat ingenia ingenuarum Artium fœcunda, nec ab illâ Avorum beatitate vel tantillum degenerantia. In quibus tu, Ludovice mi, cumprimis enitescis, unàque tecum Hermicus: cujus Musa planè musica est, cui quantum novitas derogat authoritatis, tantum elegantia conciliat gratiæ.

Anto-

Antonius Thebaldeus vir in Poeticâ excellentiſſimus de libro Hermici.

Qui leget hunc, tres ille leget: leget ille Catullum,
Sulmo, tuum Vatem, Mantua clara, tuum:
Gloria ni traheret, titulum Hermicus abdere libri
Debuerat: dempto nomine priſcus erit.

Petrus Antonius Aziarolus & ipſe Poeta magni nominis ad Librum Hermici.

Capſas deſere jam tenebricoſas,
Et locos age linque araneoſos,
Exi, ita imperat Hermicus Poeta,
Luſitania quo ſuperbit uno.

Ludovicus Teyxeyra Luſitanus Latinè, Græcèque apprimè doctus in Epiſtolâ ad Beroaldum edit. Bononiæ.

UTinam quæ ego de Carminibus ejus, (Cayadi) quæ de ingenio conceperim, vulgare poſſim citra aſſentationis ſuſpicionem. Oſtenderem quippe quantopere Poeta noſter non modò inter Hiſpanos excellat, ſed etiam urgeat veſtrates. Dicerem Antiquitatem ab eo apertiſſimè provocatam. Inclyto Luſitaniæ Principi meo gratularer etiam; cujus Imperii felicitate, & providentiâ, non ſolùm novus orbis, nova ſidera refulgent, ſed (ut fortunæ ſuæ dominum penitus extitiſſe conſtaret) novi, & præſtantiſſimi vir ingenii inter tot miracula viſitur, ne deſit ſcilicet, qui tam nuper inventa divini-

divinitus, quàm quæ in præsentiâ Rex sanctissimus fortissimè molitur, possit litteris mandare.

Lucius Andreas de Resende in Oratione habitâ in Academiâ Ulyssiponensi Kal. Oct. an. 1537.

HEnricus Cayadus Poeta veteribus conferendus, quem Erasmus, acerrimi vir judicii, alterque nostri sæculi in judicandis Scriptoribus Aristarchus, ita laudat, ut ejus de Henrico nostro elogium magnam illis gentibus invidiam faciat, quibus Lusitanum nomen gratiosum non est. Hic tamen idem Vates egregius antequam fatalem sibi Italiam adiisset, prima Musarum stipendia in hac scholâ sub Rhombo Grammatico emeruit.

Porrò elogium illud, de quo Resendius, sic se habet.

LUsitanos aliquot eruditos novi, qui vulgaverint ingenii sui specimen, neminem novi præter Hermicum quemdam in Epigrammatibus felicem, in oratione solutâ promptum, ac facilem, ad argumentandum dexterrimæ dicacitatis.

Lilius Gregorius Giraldus de Poetis sui temporis Dial. 2.

FUit enim Hermicus Cayadus Poeta vester, qui in Lusitaniâ Henricus vocabatur, obesulus corpore, sermone festivus, in Italiâ Florentiæ, & Bononiæ versatus, Politiani, & Beroaldi tempore, quorum & disciplinâ, & familiaritate usus. Fuit & hic Ferrariæ, ubi consuetudine meâ, & Cæli Calcagnini usus est.

Petrus

Petrus Sanches in Epiſtolâ ad Ignatium de Morais.

Cayadâ de gente tibi venit Hermicus, ille
Hermicus, Auſoniâ cunctis notiſſimus urbe,
Qui cecinit ſilvas, pecudesque, & numina ruris,
Quem ſæpe inflantem calamos, & dulce ſonantem
Tectus arundinibus, ſummis audivit ab undis
Mincius ipſe pater, fluctus, & ponere raucum
Juſſit murmur aquæ labentis, ut altiùs aure
Attentâ molles numeros, & verba notaret,
Credebatque ſenex Muſam, maneſque Maronis
Populeas inter frondes, in vallibus illis
Errare, & ſilvas, ſedeſque reviſere amatas.

Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hiſpanâ tom. 1.

HErmicus Cayadus in Italiâ floruit Latinâ eruditione, & Poeſi, exeunte decimoquarto ſæculo, ineunteque decimoquinto, ſcilicet ab anno 1495. aduſque 1501. quo typis excuſa ſunt ejus Eclogæ, & Silvæ, & Epigrammata Bononiæ apud Benedictum Hectorem in 4., quæ editio cùm ad manus deveniſſet Alexandri VII. Pontificis Maximi, deque Authore ſciſcitaretur optimum, atque eruditiſſimum Virum Joannem Bonam Ciſtercienſem Monachum Reformatum, quocum, & aliis hujus notæ hominibus, pomeridianis, hoc eſt, ſubſecivis horis, de quocumque eruditionis genere verba ſolebat humaniſſimè, ac citra omnem dignitatis faſtum conferre, atque ille hujus noſtri laboris conſcius, certiorem de eo eruditiſſimum, ac benigniſſimum Pontificem

Digitized by Google

cem reddidiſſet; accipe, ait Alexander, codicem, & ad eum perfer, qui talem Spartam adornat, ne fortè hoc Scriptore, atque eo non contemnendo, careat Hiſpana Bibliotheca.

Moreri in Dictionario noviſſimo anni 1725. ex Bayl. & aliis.

HEnry Caiado connu ſous le nom d'Hermicus Cajadus, Poete celebre, & Portugais de nation vivoit ſurla fin du XV (XIV) ſiecle vers l'an 1495. Un de ſes Oncles nomée Nonio Caiado lui perſuada de paſſer en Italie, ou la reputation d' Ange Politien l'apelloit depuis long-temps; ce fut là qu' s'atacha a cet habile homme; & qu' il conſulta les ſçavans qui ètoient à Florence, à Ferrare, & a Bologne. On publia a Bologne-la Graſſe en 1501 un recüeil de ſes Poeſies *in quarto*, ſous le titre: *Eclogæ, Silvæ, & Epigrammata.* Cajado ètudia auſſi en Droit, come on le peut voir par ces vers, qu' il envoya à ſon Oncle.

Legibus incumbo, Noni, tua juſſa ſecutus:
Namque jubere potes & pater, & dominus;
Ingenium, Muſas, vitam tibi debeo; Cæſar
Non dare plura poteſt, non dare plura Deus.

On ne ſçait pas en quel temps il eſt mort. Eraſme juge qu' il à eté heureux dans ſes Epigrammes, & Beroalde l' ainé temoigne que ſes vers font voir que Cajado avoit du genie, qu'ils ont del' elegance, des ornemens recherchez, del'agrément, & du ſel; que ſes expreſſions ſont veritablement latines, ſes penſées tout-a-fait poëtiques, & ſa verſification polie; enfin que ſes Epigrammes ſont fort regulieres, qu'elles ont une fin aisée, & que

& que la pointe en eſt juſte, & ingenieuſe. Il eſt à remarquer que le Pape Alexandre VII. en fit doner à Dom Nicolàs Antonio un temoignage favorable, par le ſçavant, & virtueux Cardinal Bona; & que c'eſt a ce Pape que l'on a obligation de le voir inferé dans le Biblioteque des Eſcrivains d'Eſpagne

Id eſt:

Henricus, aliàs Hermicus Caiadus, Poeta celeber, natione Luſitanus, vivebat ad finem ſæculi decimiquarti, anno ſcilicet 1495. *Nonius Caiadus ejus avunculus author illi fuit, ut in Iealiam ad Angelum Politianum per id temporis magnâ apud omnes ſcientiæ laude florentem iret. Hujus viri præſtantiſſimi familiaritate, & conſuetudine uſus eſt, quemadmodum, & aliorum qui Florentiæ, Ferrariæ, & Bononiæ pari cum Politiano nominis celebritate clarebant. Ejus Poemata edita fuere Bononiæ,* in quarto *anno* 1501. *ſub hoc titulo:* Eclogæ, Silvæ, & Epigrammata. *Juri addiſcendo pariter incubuit, ut teſtantur verſus ſequentes ad Nonium avunculum:*

Legibus incumbo, Noni, tua juſſa ſecutus,
Namque jubere potes & pater, & dominus.
Ingenium, Muſas, vitam tibi debeo, Cæſar
Non dare plura poteſt, non dare plura Deus.

Quo anno è vivis abierit, incertum. Eraſmus illum vocat in Epigrammatibus felicem. Beroaldus junior fatetur ejus carmina omnino eſſe hominis ad Muſas nati, elegantiâ, venere, ſale, & ſuavitate plena: ſermonem vere Latinum, conceptiones plane poeticas, metrificationem politam, verbo, Epigramma omnia juſtè ſimul atque ingenioſè concludere. Librum ad Nicolaum Antonium dono miſit, non ſine elogio, per Cardinalem

lem Bonam, & ipſum virum ſapientiſſimum, Alexander VII. cui Pontifici debet Caiadus inter Scriptores Bibliothecæ Hiſpanæ numerari.

De Eodem & Nos in Enthuſiaſmo Poetico nuper edito.

——————— Cayadus ab ipſo
Virgilio haud multùm diſtans, ſuper ardua Collis
Ibat, ab ore melos fundendo dulcius illo,
Quo placata olim Plutonia Regna canenti
Eurydicen tribuere viro ———————

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVO EMMANUELI REGI, DOMINOQUE SUO HERMICUS CAYADO S.

Soleo ſæpenumero, ſapientiſſime Rex, à noſtrorum pleriſque vehementer accuſari: quòd ea parvifecerim ſtudia, ex quibus ſummos magiſtratus, & emolumentum, utique maximum, mortales adipiſcuntur: ut totum me litteris politioribus addicerem. Quippe quæ nos faciant egere ſemper, contemptoſque ſine honore vivere, & Juvenalem nobis objectant, qui poetarum miſerias ſatis calamitoſè defleat, non conſiderantes, non bonarum artium ſtudioſos illâ ſatyrâ exagitari: ſed potiùs temporis illius principum avaritiam. Poſſent hæc futilem quemvis & propoſiti minùs tenacem, quò vellent, facilè impellere: ſed ego radices altiùs egi & nullis hujuſcemodi ventilationibus moveor: quòque aliquis inſtat acriùs, eò conſilium magis diutinum approbo. Nec enim ambitionis unquam, aut ſpe quæſtûs ab ingenuis diſciplinis divertam. Nec idcirco mihi laboris mercedem arbitror defuturam, quòd leguleius eſſe noluerim. Nam (ut Horatius inquit) Et gratia regum pieriis tentata modis: *Quo fit, ut in dies magis animus ad incepta ſtudia flagret, gliſcatque, poſtquam ad regium faſtigium, ad tanti imperii apicem,*

apicem, ad tantæ maiestatis culmen, Te, Principem Christianissimum, evectum intelleximus, quo nihil potuit evenire gratius nobis, aut optabilius. Bene cum viris litteratis actum est: gaudent tanto patrocinio musæ: tremit jam propemodum, & vacillat barbaries propediem tuo nutu eliminanda: sunt protinus alba omnia. Felix regio, cui à tali Duce gubernari contigit: cujus habenas tam magnanimus tractat Auriga: cujus Clavum tam solers Nauta regit. Felicissimi populi, qui tyranni sæva juga, impotentiam, sævitiam non perpetiuntur: sed ductorem sequuntur justum, invictum, nullique liberalitate secundum, qualem Te unicè colimus, & reverenter observamus. Sed hæc uberiùs aliquando nostrâ operâ innotescent, si eum Te mihi præbebis, quem Te humanitas Tua maximè singularis pollicetur. Nam quantum Tibi jucunditatis afferant bonæ litteræ, nemo est qui ignoret: usque adeo, ut nostris his studiis nihil non horarum libentissimè quandoque impendas. Quo circa Celsitudini Tuæ primordia hæc, & vigilantiæ nostræ præludia quædam supplices dicamus, rogamusque itidem ad humum proni, ad pedes tuos flexi, ut in his legendis Regem exuas, grammaticum induas: quod Maiestatem Tuam non modò non dedecebit, sed omnibus tuis commilitonibus, convictoribusque, (Sic enim tuos appellare Tua me benignitas adhortatur) ingenti eris ad rerum cognitionem incitamento, mihi verò ad maiora capessenda vires dabis, calcar adjicies. Vale, Rex Optime. Bononiæ XV. kalendas Julias. Mccccl xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
JACOBO SOUSÆ
DIVI JOANNIS SECUNDI
LEGATO
S.

Secessi per dies aliquot in solitudinem ab urbis Florentiæ tumultu semotus parumper: non ut genio, sed ut litteris tranquilliori animo indulgerem. Mei hospitis amœnissimum ruſculum petii: ubi lectionum quotiescunque me capiebat satietas, aliquid ex imitatione conabar scribere: vel epigrammata, vel epistolas ad amicos: interdum ad vicinos agricolas me conferebam: Quos cùm sæpe numero ob imminentia belli pericula quadam anxietate laborare conjicerem, pertinaci diligentiâ animadvertebam sermones, in quos congregati plerumque incidebant: ut, si quando opus esset, rusticæ orationis colores servare facilè possem; hoc enim saxum jam diu volvo. Quo factum est, ut pierius calor menti inciderit. Ex multis itaque, quæ ab agricultoribus audivi, pauca buccolico carmine nixus sum exequi. Multo namque maiori commiseratione movebitur animus, si pastoris insontis, quam si avidissimi agricolæ calamitates, quas bellum affert, intellexerimus. Pastorum innocentia digna est, quæ à nobis impetret in rebus adversis misericordiam, in secundis verò congratulationem. Hanc ecglogam qualemcunque tibi dicavi-

mus

mus, Jacobe prudentiſſime, cujus ego præſidio meis ſtudiis otium ſpero; ſed unum abs te peto, quod ſincerè atque ex animo dictum putes, ne tibi quiſquam perſuadeat, me arroganter jactare parùm limatos verſus, aut gloriæ cupidum in lucem edere, quod nonum ſatiùs premeretur in annum. Non enim opus iſtud formis excudendum tradimus, non vulgo legendum, ſed tibi dumtaxat mei amantiſſimo; cui nuda omnia noſtra eſſe debent, & aperta. Idem Virgilius facitavit, qui verſus nondum abſolutos Auguſto ſuo pronunciabat. Nunc maior ridendi Placentino & Paquequo occaſio datur: dum his, quæ objici poterunt, reſpondemus. Virgilio, nempe dixerint, Se comparat Hermicus noſter, pro ridiculum caput! Quapropter te mihi patronum paro: tu clientem tutare; Nam quò me cumque vertam, niſi te præbueris medium, ſaucius ibo. Vale Florentiæ: quinto idus Julias. M.ccccl.xxxxv.

HER-

Digitized by Google

Petrus Perotti delin. Hieronimus Rossi Sculp.

HERMICI CAYADO

Ulyssiponensis

ECLOGA I.

INTERLOCUTORES

Faustulus, & Philemon amici.

PAstores mea musa canet, quos tristia belli
Tempora sollicitant diri, & jam classica terrent.
Hac mihi da vires, Jacobe, parare palestrâ,
Et faciles aptare pedes, certando vicissim
Pascua nunc pecudum calamo celebramus agresti:
Nunc nemorum saltus cupimus, silvasque virentes,

Fauno-

Faunorumque domos greſſu peragrare trementi.
Mox reges quæcunque gerunt, dum vincula rupit
Immitis furor, & bellandi dira cupido,
Experiemur, eris magnum mihi numen, & alter
Mœcenas, clarâ quoque natus origine regum.
Dum per prata hædi ſaliunt, dum prata juvenci
Tondent, dumque olidæ montis prærupta capellæ
Conſcendunt, tetro lædentes omnia morſu,
Sole ſub ardenti conceſſit in antra Philemon
Et pius, & juſtus: prudentem fecerat ætas.
Illum, Mœoniâ dum Fauſtulus urbe rediret,
Talibus alloquitur vicinus, paſtor & idem.
Fauſt. Ultima nos miſeros oderunt ſæcla, Philemon:
Ducimus inviſi vitam Diis omnibus, heu heu!
Quæ ſpes jam ſupereſt? de nobis illicet actum eſt.
Felices ò ſæpe, quibus mors contigit, & quàm
Felices! horum jam molliter oſſa quieſcunt:
In cineres olim verſi nil talia curant:
Hæc nobis inſtant immenſa pericula, qui nunc
Vivimus: heu vivis hæc tam mala multa parantur!
Phil. Quænam cauſa mali? Dii protinus omne periclum
Avertant: meliùs ſperandum eſt, Fauſtule: ſodes
Dic age, nos dabimus aliquid fortaſſe ſalutis.
Arva doles nimiis ſi ſolibus uſta, dolendum
Parciùs: exiguo mutantur tempora gyro.
Poſt phaetontheos ignes, incendia tanta
Qualis ſidereus tum noſtro reſtitit orbis?
Ignis ubique fuit, volitabat ubique favilla;
Et tandem Divûm ſunt omnia munere firma.
Sæcula quis Pyrrhæ neſcit contraria flammis?
Nereus & terras, & celſa cacumina, montes

Invaſit

Invaſit juſſu Jovis omnipotentis, & imbres
Obſcuras inter nubes magno impete quidquid
In terris fuerat vaſtarunt, ſcilicet omnes
Agros, & ſegetes, fruges cum meſſibus omnes.
Hîc armenta Lupis commixta natare videres:
Et quæ vix multis claudam miracula verbis,
Mox nova concepit tellus animalia: demum
Inſtaurata hominum generi ſunt omnia: ceu ſi
Uſquam nil iræ, cladis, damnive fuiſſet.
Denique quid fuerit, quod te ſic acriter urget,
Dic, conſolabor, pariterve dolebimus ambo.
Fauſt. Audieram nunquam, quæ narras, monſtra, Philemon:
Audiviſſe placet: de hinc plura audire liberet.
Aſt hoc narrandi tibi non dabit otia tempus:
Infeſtant muros, Tyrrenaque mœnia Galli:
Armorum crepitus, ſtrepituſque, horrorque furentùm
Ingruit, atque urbis partes circunſonat omnes.
Arma viri clamant, huc illuc arma feruntur.
Umbroſæ nocti vix lux ſucceſſerat alma,
Sparſerat & gelido vix cœlum gramina rore,
Emiſi pecus, & ruptâ modò fronte juvencos,
Ut meliùs vacuæ repararent ubera matres,
(Gratior herba viret multòque humentior illic)
Ad ripas Arni vaccas bis quinque coegi.
Cuſtodes quarum uxorem, natumque reliqui:
Ex grege tres hædos lactentes, tubera multa,
Intibaque, & fungos albos, cœpaſque rubentes,
Caſeoloſque novi lactis, leporemque fugacem,
Quem mea deprendit latitantem vepre Luciſca,
His humeris noſtram portabam ſtultus in urbem,
Mercaturus eram falcem: (mea perdita dudum eſt)

Et quos crediderat nummos mihi nuper Amyntas,
Reddere mens fuerat, poſſem modò vendere noſtra.
Fruſtra iter incœptum eſt: tulimus prædonibus illa:
Phil. Fauſtule quid dicis? prædonibus illa tuliſti?
Fauſt. Quòque magis mecum doleas, prope mœnia raptos
Invaſit ferro accinctus, multùmque timendus,
Et ſi quid loquerer, mihi vulnera multa minatus.
Infelix ſilui lachrymans, miſerandus & hoſti.
Sævior ille lupis (nec enim quid ſævius illis
Perpetimur) lachrymas nihil eſt miſeratus, at atram,
Flectere quò magis intendo, precibuſque movere,
Exercet rabiem: rabie perdatur & ipſe
Improbus, & rutilo magni Jovis igne petatur.
Quid multis moror? hinc cives curvare querelâ,
Et prætoris opem, juriſque rogare ſalutem,
Ingredior miſeram diffuſus fletibus urbem;
Sed nihil eſt illic ſancto quod jure regatur.
Omnia Mars bello, & ſævis complectitur armis:
Et ſunt qui credant perituram protinus urbem,
Paſſuramque jugum fractâ cervice ſuperbum.
Exitium ſi fata manent crudelia tantum,
Subdita fax igni palatia celſa cremabit:
Squallebunt agri: falces vertentur in arma:
Ruris & innocui ferrum tunc cæde madebit.
Nos quoque paſtores, ignes qui ſolis, & imbres,
Et volucres patimur vitreâ cum grandine ventos,
Arboris aut umbrâ contenti, aut pelle ſub ulmo,
Nonnunquam inſomnes, parci potuſque cibique
Præda erimus, duris pingues portabimus agnos
Hoſtibus, atque ægris ſubtractos matribus hædos,
Forſitan & charo perdemus cum grege vitam.

Phil.

Digitized by Google

Phil. Deſine flere, precor, bone Fauſtule, deſine flere,
Hunc animo tantum patienti vince dolorem:
Hoc tibi poſtremum damnum confido futurum,
Nec mala, quæ narras, urbi ventura putamus:
Non ea Medeam genuit, non Atrea ſævum,
Prandia nec miſeri vidit crudelia fratris,
Conjugis infandæ cecidit nec fraude maritus,
Nec patris hîc ultor genitricem miſit ad umbras.
Eſt urbs grata Jovi, Divis gratiſſima & ipſis,
Stelligerum tangunt ubi templa cacumine cœlum:
Relligioſa cohors vultus obducta pudentes
Verbere ubi ſcapulas, pugnis ubi pectora cædit.
Hanc ne perire putant dignam qui talia norunt?
Ergo nihil timeas, ſuccedent omnia votis,
Et procul à muris citò bella videbimus altis.
Nunc age; nox quoniam adventat jam proxima terris,
Fauſtule, viſe pecus: creſcat tibi ſemper, ut hædi
(Cætera non tanti facias) geminentur adempti.

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
RODERICO PINÆ
S.

POstquam in Italiam veni diutinam ſitim expleturus, nihil ab ingenio noſtro profectum eſt, quod Tibi viro litterarum haud ignaro lectitandum mitteremus. Nunc vero jam aliquâ ex parte adeptus videor, quod & ingenium ipſum, & temporis anguſtia vix aſſequi magno etiam labore permiſerunt: in eo præſertim ſcribendi genere, in quo cura impenſior fuit, & delectatio maior. Faciam igitur operæpretium, ſi ſtudiorum noſtrorum primos hauſtus delibandos tibi tradidero, ne beneficiorum, quæ in me plurima contuliſti, aut immemor exiſtimer, aut ingratus: quorum alterum honeſtum hominem, alterum prudentem dedecet. Ecglogam itaque ad Te mittimus de Luſitaniæ noſtræ fertilitate, de adventu meo in Italiam, deque infortunio, quod mihi adverſa fortuna objecit, dum in piſcium vivario natarem: in qua obiter quoque Angelum Politianum latinæ, græcæque facundiæ lumen nuper extinctum ſuâ laude non defraudavimus. Cætera Tute meliùs percipies, quàm ego longiſſimis ambagibus exprimerem. Excipe hoc munuſculum, quod ſi voluptatis aliquid Tibi attuliſſe accipiam, conabor in dies magis maioribus inventis negotiorum tibi tædium, ſatietatemque levare. Vale, & regias manus Hermici tui nomine deoſculare. Florentiæ. Nonis Novembris. Mccccxcv.

HER-

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMICI CAYADO
Ulyſſiponenſis

ECGLOGA II.

INTERLOCUTORES

Similus, & Battus.

Sim. ADvena qui noſtris errabat nuper in aruis
Paſtor, ab occiduis olim qui venerat oris,
Externum hîc ſervare gregem perſæpe ſolebat
Oceano notum, ripiſque nitentibus auro.
Fiſtula ſemper erat comes huic, ſeu paſceret agnos,
Saltantes ve hædos feſſæ circum ubera matris,
Seu rivos illo peterent ducente juvenci,
Undique cernere erat certatim currere nymphas,
Semicaproſque citos properare ad carmina Faunos.
Quæ deſerta vides, dudum per luſtra vagamur,
Auditæ quondam muſæ dulcedine capti:
Nunc verò incertum nobis ubi, Batte, moretur,
Aut quibus in ſilvis moduletur arundine carmen.
Hermicus hinc abiit paſtor mea ſola voluptas:
Hermicus accendit ſuavi mea pectora cantu:
Hermicus in fletu cogit nunc ducere vitam,
Perpetuò nunquam rediturus (ut arbitror) abſens.
Batt. Simile, paſtoris noſtras pervenit ad aures
Fama tui: quis enim paſtorem neſcit Iberum?
Delitias patriæ, ſocios, fratremque reliquit,

Atque

Atque ipſos quibus eſt imprimis charus, amicos:
Viſurus noſtros agros: & paſcua noſtra:
Quanvis fertilior patria: & cum fœnore ſemper
Semina maiori reddantur jacta colonis:
Et quanvis pecoris maior ſit copia: grexque
Compleat extenſos glomcratus in agmine campos.
Dives ab his heros rediit tyrinthius oris
Tergeminum clava paſtorem aggreſſus: & inde
Exitium caco tulit ignem ex ore vomenti.
Fabula nota ſatis romana colentibus arva.
Durior haud igitur rerum commovit egeſtas:
Nec dulcis patriæ deceſſit finibus exul:
Feſulea ſed enim audierat ſub rupe canentem
Pulitium terræ cultus, vitamque beatam,
Illius extremum voces perduxit ad axem
Nuntia præcipiti geſtorum fama volatu.
Sim. Quid mihi fortunam narras paſtoris? & unde
Venerit italici cultus viſurus aratri?
Adventus cauſam jam ſæpe recenſuit ipſe:
Hanc ego ſub fagi cantantem tegmine vidi,
Ex his quæ mira recinebat carmina voce:
Auribus arrectis intentus pauca notavi.
Verba audire potes: numeros quis verba ſonabant?
Non ego: non Pan ipſe deus tibi dicere poſſet:
Tantus vocis honos: & gratia tanta canendi.
Batt. Quæſo morere nihil, divinaque carmina ſaltem
(Si mihi fas audire) refer, quæ pauca notaſti.
Sim. Auſonii ſaturne ſoli memorande colonis
Contigit arva manu ſacra bene culta videre:
Explevi ſaturne ſitim, jam victor adibo
(Unde tuli greſſus) annoſis ardua ſilvis

Paſcua:

Digitized by Google

Paſcua, ventus equas ubi curſu fulminis inſtar
Concitat, atque uterum veloci ſemine complet.
Cætera, ceu nunquam nobis audita fuiſſent,
Quæ claris adimunt lucem, quæ nubibus atris
Undique caligant, oblivia mente fugarunt.
Batt. Crudeles Parcæ, ſævæque potentia mortis,
Laurigeri Phœbi niſi numina blanda fuiſſent,
Privaſſent vitâ penitus, nigriſque dediſſent
Manibus Antiloquum (pro dira pericula!) vatem.
Tunc ſpes in patriam redeundi protinus omnis
Fallax (ſed ſuperi melius voluere) periſſet.
Tellurem medio jam ſol luſtrabat ab axe,
Adverſoque umbras faciebat lumine parvas:
Dum pecori perdulce ſitim compeſcere lymphis,
Frigida dumque ſolent paſtores antra ſubire,
Et placidæ multo defeſſa labore quieti
Tradere membra, graves & ſic deponere curas:
Hermicus ecce venit, lentis & paſſibus altum
Aſcendit montis clivum, pecorumque magiſtros,
Qui tunc fortè aderant, ſolito de more ſalutat.
Hinc ſe vicina ad quædam vivaria confert,
Ut loca laudavit, nitidoſque in gurgite piſces,
Æſtus optavit gelido reſtinguere fonte:
Haud mora, robuſtos (illum ſua fata trahebant)
Artus nudat, & optatas petit inſcius undas.
Tunc ſe præcipitat ſaxo, tunc motibus ipſas
Vertit aquas crebris, ſpumaſque relinquit eundo.
Non ſecus, ingenti venit cùm flumine torrens,
Vidimus aut timidos damas, cervoſque volucres
Nimborum furias celeri vitare natatu,
Et loca celſa metu, & tutos conſcendere montes.

It rivo velox, alternaque brachia jactat,
Nunc imis merſus, ſummis nunc viſus in undis.
Ergo ubi ſæpe pedes movit, movitque lacertos,
Atque inſtar Mergi totum ſe ſe obruit amne,
Frigoris impatiens rediit, ſubitoque tremore
Correptus totum cœpit palleſcere corpus,
Labraque, non violis unquam cedentia rubris,
Accipiunt, quem mora ferunt matura, colorem;
Paulatimque caput penetrat, penetratque cerebrum,
Et titubare facit, miſſis jam viribus, artus
Nauſea languentes, verſatque per omnia ſenſus:
Mox tandem procumbit humi ſine voce: putares
Funeſtâ rupiſſe manu ſua fila Sorores.
Ægroto medicâ ſubvenit Cæſius arte,
Inter apollineos longè celeberimus: illum
Parthenope genuit, Gallis modo præda ſuperbis,
Rurſus & ad veteris prolem converſa Tyranni.
Creditur hujus opem ſummo miſeratus olympo
Phœbus, Amadryadum poſt plurima vota, tuliſſe.
Sim. Hoc ego jam dudum (liceat mihi vera fateri)
Præſago repetens mortales pectore caſus,
Sollicituſque diu de abſente verebar amico:
Nam cui verus amor tetigit præcordia, ſomnos
Non finit amoto ſubrepere membra timore.
Debeo meque tibi, & quod noſtrum ſervat ovile:
Denique quidquid habent fructus mea ruſcula carpes:
Me ſequere: en veniunt jam ſera crepuſcula noctis,
Impediuntque viam fuſcantes æthera nimbi.
Ut primum radios tenebris aurora fugatis
Extulerit, repetentque boves ſua paſcua, mecum
Ibis; & optatum pariter quæremus amicum.

GEOR-

GEORGIO
DIVI JOANNIS SECUNDI
FILIO
HERMICUS CAYADO
S.

ACcepisti (ut arbitror) antehac litteras, quæ nostræ erga Te observantiæ fuerunt indices. Nunc quoque Tecum mihi sermo est, Illustrissime Georgi. Gaudes enim plurimùm litterariis exercitationibus, & Latinæ linguæ mirificè deditus es, & bene omnino meritus de Romani sermonis elegantiâ. Siculo tuo nempe uteris semper, & ubique familiariter, ut Socrate Alcibiades, ut Senecâ Nero: nec injuria; quandoquidem vir es haud quaquam indoctus, aut imperitus. Non diffido (modò pergas ut cœpisti) quin oratio tua transmarina tota sit, & latiali candore undique exuberans. Ego verò vel absens (quæ meæ partes sunt) volui puerile ingenium, instabile nonnunquam & inconstans, ad incœpta studia adhortationis aliquo genere confirmare. Igitur Ecglogam nostram, inter alias, quas fecimus, quasque facturi sumus, tertiam, Tibi offerimus, ut Hermici tui memineris inter legendum, & ad poetarum imitationem enitaris: ut omnibus item bonarum artium studiosis oppidò faveas, & liberalissimè opituleris. Vale. Bononiæ; Idibus. Februariis. M.ccccl.xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMICI CAYADI
Ulyſſiponenſis

ECGLOGA III.

INTERLOCUTORES

Tirrhus, & Lycidas.

Tirr. QUid, Puer, in mediis æſtivo tempore campis,
Ignibus expoſitus tecum meditaris? & umbras
Quercûs glandiferæ, & pandentis brachia fagi,
Sparſaque purpureis contemnis floribus antra?
Nonne vides nimio meſſes caneſcere ſole?
Et patulos ſiccæ paſſim telluris hiatus?
Rivorumque levi præcingi pulvere ripas?
Et querulo raucas ſtrepitu plorare cicadas?
Quare age, in umbroſas, Lycida, te proripe ſilvas,
Ne faciem lædant incendia magna decoram,
Neve nitor roſeo pulcherrimus excidat ore.
Ut viridis ſolet in cineres ardoribus herba
Converti, inque citos converſa recedere ventos:
Sic pueri candor calido conſumptus ab æſtu
Vaneſcit, nigrumque capit nova forma colorem.
Haud procul hinc denſus ſe nobis arbore lucus
Offeret, efficiens longis umbracula ramis:
Quem juxta gelidi fontes & curſus amœnos
Feſtinantis aquæ leni cum murmure in agros.

Illic

Illic & verſus calamis modulabere junctis,
Carminaque accipies noſtri memoranda Paquequi,
Carmina non audita prius: quid plura? venito
O divine Puer nympharum digne cubili:
Te ſacrata manet ſtatio gratiſſima muſis.
Lyc. Nunquam, Tirrhe, fuit ſtudium ſervare nitentem,
Quam facilis natura dedit, medicamine formam.
Dedecet hæc pecorum muliebris cura magiſtros,
Horridus obſervet facie metuendus & ipſâ
Paſtor oves, inſtetque lupis raptoribus acer:
Enervat vires animique, & corporis una
Mollities, inimica viris, inimica colonis.
Ergo ſemper erit molli Polyphemus Amyntâ
Charior, & tenero quoque præponetur Alexi.
Hic igitur locus eſt (nec enim mihi gratior ullus,
Quandoquidem ſtatui gregibus non deeſſe paternis)
Quo poſſimus uterque pari colludere muſâ,
Et meminiſſe novi ſurgentia carmina vatis,
Quæ tantùm laudas, quæ tantùm ad ſidera tollis.
Tirr. Vix te crediderim mortali ſtirpe creatum,
Pulchra Deûm ſoboles, cœleſti munere vitam
Inter mortales qui degis, qui indole patrum
Et genus egregium, & vitæ argumenta futuræ
Portendis: ſenſus niſi me præſagia fallunt,
Omnia reſpondent famæ; licet invida laudis
Deterat exiguumque aliquid, faciatque minora
Interdum veris, parco quæ prædicat ore;
Nam plerumque bonis adimitque augetque nitor,
Et mala ſæpe minùs morſu deturbat acerbo,
Et quandoque levem mittit ſub tartara culpam.
Quis non miretur, puerum florentibus annis

Delitias

Delitias patris, ſpem ſolam, pignora ſola,
Nil moliri animo, pueri quod poſtulet ætas?
Sed quæ maturis ſenibus tractare, vel ipſis
Conveniat patribus, quos ſæcula priſca dederunt,
Semper honorandos nobis, ſemperque colendos.
O decus ætatis, ſplendorque, & gloria noſtræ:
Felix ò nimium genitor, cui gaudia natus
Tanta parat: tali quæ ſeſe jactat alumno,
Elyſiis campis tellus felicior illa.
Lyc. Sed quid inornatis conſumis tempora verbis,
Tirrhe loquax? meliora tuis potioraque multò
Præſtiterit vacuis immittas auribus: ergo
Incipe, ſi quid habes: & habes, quæ plurima poſſis
Dicere, caſtaliis rorantia carmina lymphis,
Vatis opus, ſuperas nuper qui venit in auras
(Principiis ſi fas eſt credere) primus ab alto
Vertice Parnaſi, Muſarum ſedibus, ipſos
Deducturus equi rupit quos ungula fontes
Aligeri in patriam, patriæ cum laude, ſuâque.
Tirr. Exemplo quæcumque loquor manifeſta liquebunt,
Si dederis, Lycida, faciles his verſibus aures.
Quò me vatiduces tandem duxiſtis inertem
Pierides? tanti quæ præmia digna laboris?
Nam grege dimiſſo plerumque & dulcibus arvis,
Pabula cùm potior bubus mihi cura fuiſſet
Carpere, & arentes hortos ſuffundere lymphis:
(Heu demens quorſum?) ſacri penetralia montis
Viſere, & aonias curabam aſcendere rupes,
Noſtris ut ſilvæ, præruptaque ſaxa ſonarent
Vocibus, omniloquæ non notis vocibus echûs.
Cura aliis non parva ſui viridantis agelli,

Et

Et labor eſt aliis fulcire trementia tecta:
Urget oves alios quòd jam tondere neceſſe eſt;
Nam mercator adeſt empturus vellera dextrâ
Ære gravi, pellitque moram, & tondentibus inſtat:
Unuſquiſque exercet opus: cupit otia nemo,
Paupertatis onus queat ut vitare nefandæ:
His ego ſum ſolus longè diverſa ſecutus,
Et quid erit pretii? pretium ſperare coactus:
Interea vitam nullo cum munere ducam,
Interea paſcar ventis, & inanibus auris.
Eventus tales ſpera quicunque relinquis
Certa, ut quæ tibi certa putas, incerta capeſſas.
Lyc. Jam Tagus aonias inter numerabitur undas,
Cui non tantus honos fuerit, nec gloria maior,
Divite quòd fulvas ripâ deducat arenas,
Indigenæ quàm quòd vatis lætetur honore.
Mintius alter erit, Bethim poſt terga relinquet,
Heſperios inter ſemper celeberrimus amnes,
Notior Eridano fluviorum rege: nitentis
Hoc nymphæ gaudete Tagi, gaudete poetâ:
Ducite jam choreas nymphæ, ſaltate puellæ,
Et removete ſacro nebulas à flumine triſtes,
Sitque in honore viris, vatis ſit cognita virtus.

Digitized by Google

PHILIPPO BEROALDO
BONONIENSI
DISCIPULUS HERMICUS CAYADO
S.

NOn ignoras, Beroalde doctiſſime, (nihil enim tibi viro omnium diſciplinarum peritiſſimo ignorantiâ magis alienum puto) Horatii carminibus admoneri nos: ne quid unquam conſequi deſperemus eorum maieſtate abſterriti, qui in eâ re cum ſummâ hominum admiratione degentes, ipſi quoque poſteritati ſui nominis immortalitatem reliquerunt: Nam ſi picturæ ſtudioſus quiſquam ſimulachrum obtueretur, cui nihil & naturæ, & elegantiæ accommodatum deeſſe perſpiceret, conſimiliſque tabulæ ſimulandæ omni ſpe prorſus deſtitueretur, nec quidquam eniti tale auderet: Nimirum picturæ dignitas decreſceret, eâdemque viâ omnes bonæ artes conculcarentur, nec fuiſſet imitatus Homerum Virgilius, nec Demoſthenem Cicero. Sed quia gloriæ cupidis ſpes vires dedit, quod conati ſunt, arduum ſanè & perquàm difficile, effecerunt. Quamobrem minùs dubito poſſe me in hiſce litterarum ſtudiis aliquod laborum ſaltem emolumentum aſſequi, ne impenſæ diutiùs curæ pœniteat, utque ad maiora ſemper laudis cupidine flagret animus. Quis enim virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? Ne igitur rubigine torpeat ingenium, ſoleo plerumque aliquid verſiculis ſponte ſuâ ſcaturientibus luſitare: nonnumquam verò multa diligentioribus

lituris coercere: qualis mihi labor fuit in hac Ecglogâ, quæ inter alias quartum sortita locum tibi supplicat: tibi, inquam, litterarum censori vigilantissimo, cujus illam numine afflatus autor effinxit: Quæ, si tibi parùm placebit, à multis magnopere commendabitur. Quid si approbabis? à nullo profectò (quantumcumque rugosi critici judicium subeat) sine stupore magno legetur. Vale. Vive fœlix: Bononiæ pridie nonas Aprilis. Mccccl xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

ECLOGA IV.

Hermicus ſolus.

PAſtor ut interdum montes, & rura relinquat,
Et ſolitis maiora canat, concedite Muſæ:
Aſcræum, Muſæ, potuiſtis ad æthera veſtris
Tollere muneribus vatem, magnumque per orbem
Illius æternam famam volitare dediſtis:
Qui patrias paſcebat oves, vix notus in arvis,
Quæ pede calcabat crebro, ſuper alta bicornis
Culmina Parnaſi rapitur victurus in omni
Tempore, & inſigni cingendus tempora Daphne:
Mox docuit, quo terra modo meliora crearet
Humanis alimenta, diu queis aſpera ſilva
Glandibus, & rubris ſoluit jejunia fragis.
Sic ego, ne pigro patiar mihi membra veterno
Elanguere, paro ſaturi felicia ruris
(Dum mihi Pegaſides dictent placitura puellæ)
Otia vel tenui meditari carmine ſolus.
Interea carpant ægræ virgulta capellæ,
Et latis ſpatientur agris armenta toroſa.
Dum genus humanum bubus ſua rura paternis

Exer-

Exercens avidi vivebat fœnoris expers,
Nulli rauca leves rumpebant claſſica ſomnos,
Vota Deo pelagi ſolvebat nemo tabellis,
Naufragium paſſus ventis tollentibus æquor,
Et rabioſa fori vendebat jurgia nemo:
Regum nemo fores duras, adituſque ſuperbos,
Ut gratus dominis fieret, ſine fine colebat;
Unuſquiſque ſuâ contentus ſorte beatam
Degebat vitam, norat mendacia nemo:
Illa nec invidiæ violarat ſæcula livor
Aurea Saturni, nec erat qui lædere ſciret:
Sed tranquilla quies curis intacta malignis
Solam frugiferis ſibi ſpem ponebat in agris:
Magna inter priſcos olim concordia fratres,
Unanimes illo vivebant tempore cuncti:
Terra nec agricolam dominum cognoverat ullum,
Sacra tibi gentes tunc, Termine, nulla ferebant,
Norat teque Deum nemo: nempe omnibus agri
Communes illâ fuerant ætate colonis.
Tales, oceani ratibus dum navigat æquor,
Per mare non notum claſſem ducentibus aſtris,
Rex varios populos reperit: Rex inclytus, auri
Dives, & extremum nutu qui temperat orbem.
Nos hodie pecorum cuſtodes, inſcia turba,
Servamus primæ ſaltem veſtigia gentis,
A vulgi fluctu procul, ambitione carentes
Hæc ſine civili felices turbine, & abſque
Rura metu colimus trepido: ſuſpecta tyrannis
Nobilitas generis, virtus, facundia, demùm
Quidquid ad imperium, populo plaudente, minores
Erigit: hinc cædes miſeris mortalibus, hincque
Damna

Damna ruunt propero tygres imitantia curſu:
Non myrto penetrans ad ſidera celſa cupreſſus
Invidet, aut pinus parvis Idea ſalictis:
Non cæcos fulvi talpas rabida ora leonis,
Nec cupit exiguas urſus laniare lacertas.
Non culices aquilæ curant, maiore moventur
Prædâ, cùm nubes denſas per inania findunt.
Sed nos viminibus calathos, juncoque paluſtri
Dum facimus, tereteſque manu dum ſtringimus haſtas,
Sceptra, quibus paret regno gens ſubdita noſtro,
Non metus inſtabilis, cui des fortuna favorem:
Arvorum quoque cultori nec gaudia deſunt,
Nec fructus operum: pars anni nulla moleſta eſt.
Cùm ver purpureis reſpergit floribus arva,
Lataque ſurgenti lanugine prata renident,
Et tepido zephyri motantur flamine frondes
Arboreæ, nutantque leves in robore rami:
Quàm juvat argutâ captare ſub ilice membris
Alternam requiem? & vires reparare cadentes
Agricolam feſſum? procul ò procul eſto, Cupido,
Sunt ſine luce faces tibi, ſunt tua tela ſine ictu:
I, pete Palladias urbes, pete regia tecta:
Et locus inſidiis dabitur: jacet ille ſub umbrâ,
Sudantes poſtquam tauros ad pabula miſit:
Spes bona dat vires, minuit ſpes ipſa laborem.
Quid referam, æſtatis veniunt ubi tempora? fruges
Horrea jam dudum expectant vacuata novellas.
Flava Ceres, cultum quæ prima invenit aratri,
Gaudet primitiis, & agreſtia munera jactat.
Voto quiſque ſuo fruitur, fruiturque labore,
Gaudet & ille magis, maior cui puſtula palmas

Inſla-

Inflavit, duri tractando pondera raſtri.
Cum caput autuminus redimitum dulcibus uvis
Exerit, & labris ſpumantia muſta repletis,
Extinctura ſitim veniunt mitiſſima Bachi
Munera, falcigero non contemnenda Priapo:
Gaudia quanta ferat, nemo eſt qui neſciat, illo
Ruſticus imprimis jucundo tempore, quando
Omnibus eſt gratæ titubans vindemia curæ.
Ebrietas animos mulcet, curaſque repellit
Protinus, & vires moribundas excitat, & nos
Audaces reddit pergrata ſenilibus annis.
Aſt ubi triſtis hyems inducit nubila cœlo,
Obruit & piceâ penitus caligine terras,
Cæruleique cavis funduntur nubibus imbres,
Et nivibus candent ſummis cum montibus alpes,
Retia rara, dolos tendit ſpumantibus apris,
Vel leporem captat, vel turdos fallit edaces,
Vel canibus latè ſaltus circundat arator.
Talia ſole facit, fulgent ubi ſidera, inemptas
Sedula menſa dapes offert, largoque relucet
Igne domus, rutilæ ſaliunt, crepitantque favillæ:
Et juxta pueri poſuere ſedilia matrem,
Filaque deducunt cantantes multa puellæ,
Atque ita, dum fallunt longæ faſtidia noctis,
Otia ſecuræ peragunt tutiſſima mentes.
Hanc vitam docto, cunctis mirantibus, ore
Laudavit celſâ conſpectus rupe Beraldus,
Felſineæ vates, atque ingens gloria gentis.
Jam ſatis, Aonides, veſtro dictaſtis alumno;
Carmina plura tamen, plures ſperamus honores:
Sed me cura boum ciet, heſperus ecce propinquat.

HER-

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
ROBERTO LANTONO
SUO
S.

VIdisti, mi Roberte, quanto gaudio noſtri ludicri ſpectatores affecti fuerint: non noſtra commendant homines vulgares, aut obſcuri, ſed viri imprimis omnium diſciplinarum profeſſores eminentiſſimi: Sed viri hujus inclytæ ac regiæ urbis primates: Sed poetæ antiquis haud inferiores: Quorum aliqui ſpectaculo domi tuæ: Aliqui Mini Roſcii, hoc tempore dictatoris ampliſſimi, ruri interfuerunt. Bis eeglogæ noſtræ actitatæ ſunt: &, quantum ex omnium ſententiâ conjectari poſſumus, decies repetitæ placebunt. Quam gloriam non tam mihi auctori, quàm actoribus ipſis aſcribendam duco: unuſquiſque ſupra fidem rectè ſuum munus obivit: omnes lepidè, concinnè pronunciarunt, nemo titubavit, defecit nemo: nec rei congruentes ipſi defuerunt geſticulationes: ruſticos putabant omnes, non commentitios, ſed quales per ſilvas, per agros errantes conſpicimus. Liberalitatem tuam & animi genuinum nitorem nemo eſt, qui non admiretur: quem priùs norant, colunt, & venerantur. Tu Britannos Bononienſibus concilias: tu facis, ut ab omnibus Britanni tuo exemplo magnanimi exiſtimentur, & qui ob honorem ſumptibus non parcant. Gaudet te, ſtudiorum ſocio & contubernali, Guilielmus noſter Harynthon: cujus erga te amo-

rem

rem & fidem multis argumentis exploratam habes. Te amico gloriatur Joannes ejus frater, vir juris consultissimus: cujus consilio sereniſſimi Regis vestri mater, Augusta virago, nonnunquam utitur: tanta est viri illius prudentia. Te nepote ex fratre lætatur nimiùm Pont. Vintonienſis, qui ter Episcopus ob egregia facinora declaratus ad maiores dignitates evectus est. Te patrono beneficentissimo me felicem puto: cui, dum vivam, obsequar obnixè. Tibi Ecgloga quinta sese offert, tutori acerrimo, quæ simul cum aliis tuo jussu in vulgus exit, multorum caperatam frontem, & severum judicium subitura. Vale. Bononiæ pridie idus junias. Mccccl xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

ECGLOGA V.

INTERLOCUTORES

Lantonus, & Harynthon Britanni.

FElſinei nuper celebrabant ſacra coloni
Pani ſacra Deo, & Rheni gratiſſima nymphis:
Turba Jovem magno clamore vocabat agreſtis,
Queſta ulvas fieri ſegetes, campoſque paludes,
Utque Deus ſævos terris averteret imbres,
Ne ſpoliatus ager vivis alimenta negaret:
Pro ſe quiſque piâ Junonem voce rogabant.
His aberat votis præſtanti corpore Harynthon:
Viderat hunc mœſtum, & præruptâ rupe jacentem
Lantonus, à ſacris lætus dum fortè rediret,
Egregiâ formâ juvenis, pulcherrimus unus
Ante alios, nimium quos terra Britannica jactat:
Talibus inde modis triſtem compellat amicum.
Lant. Non has tanta ſibi lachrymas ſolemnia poſcunt,
Dona Deis hodie tulimus, Genioque bidentes
Haud paucæ cecidere loci: gaviſus honore

Jupiter ipſe ſuo virides compeſcuit imbres,
Reppulit & nitido nigrantia nubila cœlo.
Nonne renidentes phœbeâ lampade campos
Aſpicis? & pecudes umbras captare ſub ulmo?
Exercent alii choreas, Divûmque precantur
Numina: tu lachrymis indulges ſolus, & omni
Paſtorum è numero voluiſti muneris expers
Eſſe: vel indomito ſecludas pectore curas,
Vel mala, quæ vexant prætordia, fare viciſſim.
Har. Sic tibi magna Pales faveat, ſic fiſtula dulcis
Contingat, reſono ſiſtat quæ flumina cantu:
Sic nunquam aligeri experiaris vulnus Amoris.
Deſine mœſtitiæ duras perquirere cauſas;
Plurima, quæ cures, tibi ſunt: aliena relinquas.
Non eſt, cur optes noſtros augere dolores,
Et revocare novos, exacto funere, luctus;
Quin age, carpe viam, comitum ne vota moreris.
Lant. Neſcis ingenium noſtrum? non poſſe perire,
Me præſente, aliquem neſcis? errabat opacis
Hermicus in ſilvis quondam, perque avia luſtra
Auditas nulli jactabat in aera voces:
Cùmque locum miſeris quereretur deeſſe camœnis,
Hoſpitio tutum vatem in mea tecta recepi,
Otia magna dedi, cui ſum maiora daturus,
Si patrios unquam continget viſere fines.
Et dubitas aperire mihi mala pectoris ægri?
Auxiliumque meum ſpernis, morboque medelam?
Ite citi, comites, & veſtra reviſite rura,
Jam multùm atque diu deerravimus, ite, relictos,
Ite, videte lares, dum tempus, & inter eundum
Non ceſſet molles effundere tibia verſus.

Ecce

Ecce abiere, potes nunc ſingula dicere: nobis,
Quidquid id eſt, tutò committes: nec, puto, quiſquam
Hîc aderit, noſtris qui verbis inſerat aures.
Arva patent latè, ventique in pace quieſcunt,
Nec nobis obſtant tenebroſis ſaxa cavernis,
Quæ percuſſa queant arcanas prodere voces.
Har. Non ego vicinis ſtabulis, aut meſſibus ignem
Immiſi, aut ullis infeci ſtagna venenis:
Non unquam ſcelerata Deos in vota vocavi:
Dicere quod verear, nihil eſt (mihi crede) pudendum.
Quòd ſi ſupplicio committit crimina quiſquam
Digna, manent meritæ haud longo poſt tempore pœnæ:
Delituiſſe diu nequeunt: Deus omnia cogit
Eſſe palam, vulgique facit volitare per ora.
Dii quoque ſunt teſtes, quamvis procul arbiter abſit.
Vox fuerat foſſæ (quis neſcit?) credita parvæ,
Auriculas aſini Myda rex habet: illico crevit
Garrula, quæ vocem (mirum) detexit, arundo.
Lant. Simplicitas vitæ noſtris maioribus olim
Perplacuit, ſincera fides, morumque bonorum
Integritas: non mendacis perjuria linguæ,
Implicitique doli quemquam læſere priorum.
Tunc in honore Dei (pietas tunc magna) fuerunt.
Sæcula perverſo venerunt ordine noſtra:
Heu perit in tenues auras reverentia Divûm!
Non metus, aut pudor eſt nunc, non pietatis imago
Ulla manet: fugere cito per inania curſu
Non reditura, viros faciunt quæ ſcandere cælum.
Noſti qui credant aliorum incommoda ſemper
Commoda magna ſibi: noſti qui dira minentur
Innocuis, vitiumque objectent, falſaque fruſtra

Crimina

Crimina longinquas olim vulgata per oras.
Har. Lantone, conſtanti patiaris pectore verba:
Oceano tygres, venantur in æthere cervos,
Flavaque de duro contendunt marmore mella
Promere, & è medio ſperant torrente lyeum;
Sed nondum penitus virtus abſceſſit, in ævo
Reſtat adhuc noſtro vivendi ſemita rectè,
Cultoreſque Deûm ſuperant mortalibus uſquam.
Num memor es patrui, cinxit cui tempora nuper
Infula, quæ meritis acceſſit tertia merces?
Dotibus immenſis animique & corporis unà
Præſtat, & antiquâ nulli probitate ſecundus,
Eſtque ſenecta virens, eſt & venerabillis illi
Canities, rugæque ſedent in fronte decoræ.
Lant. Miſſa face iſta precor: da cauſam vulneris hujus:
Ægroti video nimiùm te pectoris angi,
Dumque loqui pergis, ſuſpiria pectore ab imo
Ducis, & ex oculis lachrymarum flumina manant.
Har. Cogimur inviti tandem ſecreta fateri.
Ille jacet viridante ferox qui gramine taurus
(Aſpice ſævitiam vultûs, frontemque minacem)
Dum ſibi ſubreptam queritur certamine vaccam,
Per ſilvas, per agros fugiens mugitibus auras
Implevit: trepidæ fugere per avia nymphæ.
Tunc ego, quæ cordis rapuit penetralia noſtri,
Aſpexi Phyalen formâ præſtante puellam:
Lumina bina illi decorant (ceu ſydera) frontem:
Candida non unquam tepido cedentia lacti
Colla nitent, poſitique jacent ſine lege capilli.
Omnia caſta juvant nympham: non ſemper amantes
Omnia caſta juvant: non ſemper quæ tegit imos

Inſtita

Inſtita longa pedes, vittæque inſigne pudoris.
Subdere colla jugo me vis, Amor improbe, duro,
Nec datur ulla quies, noctesque dieſque gemendo
Expers ſæpe cibi, potûſque abſumo, medullas
Exeſt flamma vorax, atque inſatiabilis ignis.
Quid mihi, ſæve puer, toties illudis amanti?
Blanda quidem Venus eſt, nimiùm ferus ipſe Cupido:
Heu nimium ferus, heu lachrymis & ſanguine gaudens!
Pyramus infelix, infeliciſſimus Iphis
Parcarum ante diem, præſcriptaque tempora fatis
Juſſus uterque mori, teſtes: cur oſcula poſcis
Myrrha patrem? Byblis poſcit cur oſcula fratris?
Inconceſſa placere facis perſæpe, Cupido,
In vetitumque facis niti, crudelis, amantes.
Orphea quis docuit pueros optare tenellos?
Quis ſubitæ cauſam mortis tibi præbuit, Orpheu?
Lernæum multò levius coquit oſſa venenum,
Non tam funeſtas emiſit Cerberus ore
Spumas, dum ſuperas invitus contigit auras,
Quàm virus, miſeris quo ſpargit corda Cupido.
Lant. Omnis amans æger, captuſque inſanus, & amens:
Dulcis amor calor eſt animi, vis maxima mentis:
Eripit hic hominum ſenſus, pervertit & ipſe
Judicium, extinguitque animum mortalibus: illum
Mollis vita creat, ſed luxus, & otia gignunt.
Eſſe hunc corporibus morbum quis neſcit, Harynthon?
Qui languere ſuo faciat nos acriter igne:
Et meminiſſe vetet noſtri, meminiſſe parentum
Illorumque, ſibi qui nos debere merendo
Effecere diu, largæ ſi gratia dextræ,
Nec benefacta fugant ingrata oblivia mente.

Quod

Quod tu nunc ſentis, ad dulcia rura redire,
Stulte, ſoli patrii ſpernis, proprioſque penates:
Anxius haud curas aurum quæ flumina multum
Amne vehunt, gemmaſque ferunt prædivite ripâ.
Pabula læta gregi, placidas paſtoribus umbras
Inſula noſtra dedit: cœli clementia ſumma eſt:
Non impunè meos externus miles agellos
Vaſtabit, noſtris rapiet nec ovilibus agnos:
Non aditus Gallis illic, non gentibus ullis.
Sunt vires nobis, ſunt tela nocentia latè,
Magnanimumque ducem plebs Numinis inſtar adorat,
Ipſo qui nutu populorum temperat iras,
Perdere ne poſſit miſeros diſcordia cives:
Non hæc Elyſiis mutanda eſt patria campis,
Gargara cui cedunt, cui cedunt theſſala tempe.
Sed quid nota cano? venias, propremus, Harynthon:
Nox ruit, & ſocii procul hinc abiere, ſequamur.
Tempus erit nobis, quo latiùs iſta loqueris.
Hir. En ſequor: ire libet fido comitante ſodale:
Nec nego conſilio ſemper parere ſalubri.
Fratris amor cogit tua juſſa capeſcere ſolus:
Ille pater nobis eſt, & ſpes unica vitæ.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONIO GALEATIO BENTIVOLO

HERMICUS CAYADO

S.

INterfuisti noſtri Operis recitationi, Bentivolæ familiæ præcipuum ornamentum, & præſentiâ tuâ non minùs ſpectatulum ipſum decoraſti, quàm ſi omnes Romani ſenatûs præſides affuiſſent, & linguis ſimul animiſque faventes plauſiſſent: Nemo fuit tam acris judicii, tam ſeveri ſupercilii, qui vitio id dare auderet, quod tu omnium approbatiſſimus immenſis extuliſti laudibus. Robertum meum, qui veſtræ inclytæ domûs ſemper obſervantiſſimum ſe præſtitit, animi tui ſuavitate adeo tibi devinxiſti, ut nihil tam arduum putet, tamque difficile, quod ſubire vereatur, dum tibi, atque tuorum cuivis obſequatur, & morem gerat: illius juſſu coactus ſum Ecglogam hanc, benivolentiæ erga te ſuæ teſtem, edere: quæ quaſi extemporaliter effuſa libentiùs ad te confugit, ut tuo veluti præſidio munitam non pudeat inter alias incudem perpeſſas diutiùs prodire, & autorem ſuum tibi, viro munificentiſſimo, ſupplicem commendare. Vale Bononiæ quinto Kalendas Julias. Mccccl xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

ECLOGA VI.

INTERLOCUTORES

Damon, Mopſus, & Jolas.

Dam. MOpſe, para calamos, calamis digniſſima certè
Noſtra Thalia tuis, nec te præſtantior ullus
In ſilvis gracili modulatur carmen avenâ:
Dum canis, auritas querquus agitaſſe cacumen,
Et charis nidos volucres cum fœtibus altos
Deſeruiſſe ferunt, ſalices nec amaſſe capellas.
Quin etiam Satyri (tanta eſt tibi gratia cantûs)
Et Fauni, Nymphæque arrectis auribus adſtant.
Mopſ. Non opus, iſta mihi referas, fidiſſime Damon,
Quippe ſupervacuum eſt coram laudare ſodalem:
Quiſquis amicus erit, propriæ præconia laudis
Spernet, & abſenti cupiet ſibi talia dici.
His potius dictis laſciva puella movetur:
Gaudet enim facie cunctis præſtare decorâ:
Et Junonis avis gemmantes explicat alas,
Volvit & in gyrum toto cum corpore pennas:

Et ſibi plus æquo, ſi plaudas, arrogat, & ſe
Miratur demens, plauſuque ſuperbit inani.
Et tibi, quæ faciant labentia flumina fluctus
Siſtere, & aerias deſcendere montibus ornos,
Duraque per liquidum concurrere ſaxa volatu,
Pan Deus Archadiæ ſeptem perflare cicutas
Conceſſit, facileſque dedit depromere verſus,
Ornavitque tibi dilectâ tempora pinu,
Quam memor ipſe geris, divini pignus amoris.
Dam. Quantum cuncta Jovi concedunt Numina, quantum
Hermicus altiloquo concedit & ipſe Beraldo,
Tantum, Mopſe, meam ſuperas cantando camœnam.
Mopſ. Quantum Felſineâ cunctis Galeatius urbe
Maior, & Hyppolito, Phœboque nitentior Hermes,
Bentivolæ de ſtirpe domûs pulcherrimus Hermes,
Tantum noſtra tuos calamos veneratur arundo.
Dam. Laurigero quantum devictus Marſia patri
Supplicat, & quantum juvenes mirantur Alexim,
Cujus & amplexus cupiunt, atque oſcula nymphæ,
Tantum, Mopſe, tibi Damon in carmine cedit.
Mopſ. Gallorum quantum duris celebratur in armis
Annibal, Italici tutor fortiſſimus axis,
Omnibus in rebus magni veſtigia patris
Qui ſequitur, patriæ lumenque decuſque ſecundum,
Tantum Menalio geſtit mea fiſtula verſu.
Dam. Jam ſatis, inque vices celebratum eſt carmine noſtrum
Nomen, amicitiæ reſpondent omnia firmæ:
Nunc æſtus libeat placidâ vitare ſub umbrâ,
Dum medio Titan proſpectat ab æthere terras.
Nulla errare vides noſtros armenta per agros,

Gurgite

Gurgite ſe ranæ, pecudes ſe frondibus abdunt,
Frigora delectant, infeſtant omnia ſoles:
Frigora captemus; nam ſolibus arva dehiſcunt.
Non procul hinc ſilvas, non hinc procul antra ſubibis:
En videas multâ valles quæ fronde vireſcunt,
Sunt loca, quæ ruris vel Numina ſola frequentent.
Mopſ. Non mihi Memnoniæ ſedes, nec inhoſpita Syrtis,
Monſtra nec ardentis Lybiæ, non Caucaſus horrens,
Nec, quæ mortales terrent, Plutonia regna
Diſpliceant, Damon, tecum modò detur adire;
Te ſine nil gratum, ſordentque feracia rura,
Te, Damon, abſente, mihi, fluviuſque, Cereſque,
Seu malis ulmus, ſeu quæ loca fagus opacat:
Prævius i, ſequimur, tibi me parere neceſſe eſt:
Utque corymbiferæ truncos, & robora texunt
Nexibus obliquis hæderæ, flexuque tenaci:
Sic mea perpetuis vinxiſti pectora nodis.
Dam. Ante mari piſces deerunt, & piſcibus undæ,
Ante pecus teneras ſanum faſtidiet herbas,
Ante diem mundo claram natura negabit,
Et nox fidereos, tenebris prohibentibus, Ignes
Neſciet, & Phœbe perdet cum fratre nitorem,
Quàm noſtro charus cedat de pectore Mopſus,
Aut quâm noſter amor tenues vaneſcat in auras.
Mopſ. Venimus ad lucum: qui nobis otia rumpat,
Neſcio, quis properat: pulcher (niſi fallor) Jolas
Lætus adeſt: heus unde venis? quò pergis, Jola?
Jol. O infelices nimiùm, nimiùmque bonorum
Immemores, quando dabitur miranda videre
Tantarum vobis rerum ſpectacula? quando
Per nemus umbriferum, per amæna videbitis arva

Paſto

Et ſibi plus æquo, ſi plaudas, arrogat, & ſe
Miratur demens, plauſuque ſuperbit inani.
Et tibi, quæ faciant labentia flumina fluctus
Siſtere, & aerias deſcendere montibus ornos,
Duraque per liquidum concurrere ſaxa volatu,
Pan Deus Archadiæ ſeptem perflare cicutas
Conceſſit, facileſque dedit depromere verſus,
Ornavitque tibi dilectâ tempora pinu,
Quam memor ipſe geris, divini pignus amoris.
Dam. Quantum cuncta Jovi concedunt Numina, quantum
Hermicus altiloquo concedit & ipſe Beraldo,
Tantum, Mopſe, meam ſuperas cantando camœnam.
Mopſ. Quantum Felſineâ cunctis Galeatius urbe
Maior, & Hyppolito, Phœboque nitentior Hermes,
Bentivolæ de ſtirpe domûs pulcherrimus Hermes,
Tantum noſtra tuos calamos veneratur arundo.
Dam. Laurigero quantum devictus Marſia patri
Supplicat, & quantum juvenes mirantur Alexim,
Cujus & amplexus cupiunt, atque oſcula nymphæ,
Tantum, Mopſe, tibi Damon in carmine cedit.
Mopſ. Gallorum quantum duris celebratur in armis
Annibal, Italici tutor fortiſſimus axis,
Omnibus in rebus magni veſtigia patris
Qui ſequitur, patriæ lumenque decuſque ſecundum,
Tantum Menalio geſtit mea fiſtula verſu.
Dam. Jam ſatis, inque vices celebratum eſt carmine noſtrum
Nomen, amicitiæ reſpondent omnia firmæ:
Nunc æſtus libeat placidâ vitare ſub umbrâ,
Dum medio Titan proſpectat ab æthere terras.
Nulla errare vides noſtros armenta per agros,

Gurgite

Gurgite ſe ranæ, pecudes ſe frondibus abdunt,
Frigora delectant, infeſtant omnia ſoles:
Frigora captemus; nam ſolibus arva dehiſcunt.
Non procul hinc ſilvas, non hinc procul antra ſubibis:
En videas multâ valles quæ fronde vireſcunt,
Sunt loca, quæ ruris vel Numina ſola frequentent.
Mopſ. Non mihi Memnoniæ ſedes, nec inhoſpita Syrtis,
Monſtra nec ardentis Lybiæ, non Caucaſus horrens,
Nec, quæ mortales terrent, Plutonia regna
Diſpliceant, Damon, tecum modò detur adire;
Te ſine nil gratum, ſordentque feracia rura,
Te, Damon, abſente, mihi, fluviuſque, Cereſque,
Seu malis ulmus, ſeu quæ loca fagus opacat:
Prævius i, ſequimur, tibi me parere neceſſe eſt:
Utque corymbiferæ truncos, & robora texunt
Nexibus obliquis hæderæ, flexuque tenaci:
Sic mea perpetuis vinxiſti pectora nodis.
Dam. Ante mari piſces deerunt, & piſcibus undæ,
Ante pecus teneras ſanum faſtidiet herbas,
Ante diem mundo claram natura negabit,
Et nox fidereos, tenebris prohibentibus, Ignes
Neſciet, & Phœbe perdet cum fratre nitorem,
Quàm noſtro charus cedat de pectore Mopſus,
Aut quàm noſter amor tenues vaneſcat in auras.
Mopſ. Venimus ad lucum: qui nobis otia rumpat,
Neſcio, quis properat: pulcher (niſi fallor) Jolas
Lætus adeſt: heus unde venis? quò pergis, Jola?
Jol. O infelices nimiùm, nimiùmque bonorum
Immemores, quando dabitur miranda videre
Tantarum vobis rerum ſpectacula? quando
Per nemus umbriferum, per amæna videbitis arva

Paſto

Paſtorum, miſeri, ſaltantes ire choreas?
Carminibus ſylvæ, colles, & ſaxa ſonabant:
Eſt data tota dies ludis, nec pondera aratri
Colla tulere boum, nec aratri vulnera tellus.
Dam. Dic, juvenis, quæſo, quæ feſta fuere? quis autor
Præcipuus fertur? quibus hæc in montibus acta?
Jol. Barbara gens Latios graviter preſſura penates
Alpibus aereis Saturnia nuper in arva
Deſcendit, latèque furens, & rege ſuperba,
Ab Jove quem miſſum credebat mobile vulgus,
Contempſit vires hominum, vireſque Deorum.
Principiis incerta favet fortuna: volentem
Plura ſibi, quàm fata darent, ſubmittere liquit.
Quæque priùs dederat miſerandæ mœnia Nymphæ
Abſtulit, & tumido virus projecit ab ore
Hydra recens, ne prona cadat ſuffulta Leone.
Sic crudum in patriam criſtati Principis agmen
Non ſine cæde virûm fugit, vix ſoſpite Rege.
Talia Bentivolus fecit Galeatius ille
Maximus eſſe palam, valles qua parte theatri
Efficiunt ſpeciem, Camaldum nomine dicunt
Indigenæ, dominum norunt te prædia, Míne.
Mopſ. Miror paſtores nullo clamore vocatos:
Debuit aſſiduos effundere buccina cantus.
Jol. Eſtis vos ſurdi? ſonuerunt cornua bis ter,
Deſeruere tui tua mœnia, Felſina, cives:
Ipſeque, qui patriam tranquillâ in pace gubernat,
Affuit armipotens Janus, mavortius heros.
Mopſ. Audiſti, Damon, ſtrepitus & murmura gentis,
Ugerii verſus canerem dum rupe ſub altâ?
Dam. Credideram inſidias cervis damiſque parari,

Hoc

Hoc mihi præſertim hinnitus ſuadebat equorum.
Jol. Præteritum tempus didicit non vertere terga:
Quod fuit eſſe poteſt nunquam, prudentia ſola eſt,
Quæ res jam geſtas memori ſub pectore fixit.
Vos audiſſe ſat eſt, quod dehinc, meminiſſe poteſtis:
Eſt audiſſe aliquid: quamvis ſit certior aure
Arbiter ipſe oculus: quamvis demiſſa per aures
Segniùs irritent animos: diſcedo: valete.
Dam. Si quid adhuc ſupereſt, gauderem, Mopſe, videre.
Mopſ. Per loca cuncta tibi nunquam comes ire negabo.

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMICUS. CAYADO
Ulyſſiponenſis

ALVARO TESSIRÆ
SUO

S.

ADelphos hanc Ecglogam nuncupare meritò poſſem, in qua tres fratres inducuntur, ſed quibus (ſi quis allegoricè legat) nec clariores unquam, nec doctiores Luſitania, ne dicam tota Hiſpania, procreavit: Duo maximo virtutum omnium candore conſpicui vivitis: tu ſcilicet, & Ludovicus frater, Eloquentiæ ipſius alumnus; Triſtanus verò, cui Thyrſi paſtorale nomen indideram, vix annos natus undevinginti Bononiæ obiit abhinc triennium, non ſine luctu, non modò veſtro, ſed omnium incredibili: eorum præſertim, quibus adoleſcentis mores ſanctiſſimi, vitæ continentia, utriuſque linguæ facundia, juris humani ſimul & divini peritia explorata erat. Inveherer in fortunam, in Deos ipſos etiam, niſi ſuſpicarer ſic à fatis conſtitutum: ut eâ ætate naturæ concederet, qua nec innocentiùs unquam emori poſſet, nec cum maiori ſuorum ſpe deſiderari: ſed, ne luctus renovem, hactenus, nec ultra proceſſerim. Illud te dumtaxat & per defuncti fratris umbras, & per ſuperſtitis caput obteſtabor, ut æditiunculam hanc noſtram tuo genio dicatam eâ comitate foveas, qua bonas artes omnes, & ingenia proſequeris. Vale. Ferariæ. iii. K. Octo. MD.

HER-

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

ECGLOGA VII.

INTERLOCUTORES

Thyrſis, Lygdamus, Alpheſibeus.

Thyr. LYgdame, te primum materni pignora ventris
Bini obſervamus fratres: te patris habemus
Inſtar, naturæ poſtquam ceſſere parentes.
Te ſine nulla dies unquam mihi candida fulſit:
Alpheſibeus idem non fictâ voce fatetur.
Lygd. Miror, quòd nobis memores hæc, Thyrſi, nec unquam
Credo fuiſſe aliquod factum, dictumve malignum,
Quod veſtrum cecidiſſe meo de pectore amorem
Argueret, colui tanquam duo numina fratres
Vos animo parili, quanvis ætate minores,
Eſſe fidem vobis ægram hæc exordia monſtrant.
Nam quid opus blandis impellere vocibus aures?
Non noſtrum eſt artem pictis adjungere verbis:
Simpliciter mecum, & ſermone loquaris aperto,
Si quid habes, quod ſcire velis me; namque ego ſemper

Verborum ambages, præſertim in fratribus, odi.
Thyr. Rupiſſes niſi verba mihi, mediamque loquentis
Turbaſſes vocem, procul hæc ſuſpicio, frater
Chare, foret: nec enim pietas antiqua receſſit:
Nec latet arcanum puro ſub corde venenum.
Poſtquam ſollicitâ vidi te mente jacentem,
Et pigro torpore gravem, vultuque ſubinde
Quam fuerit læto minùs, ocyùs impulit ardor
Fraterni angoris non notas quærere cauſas,
Teque rogare, velis animas ut corpore in uno
Tres ſervare tibi, & fratrum meminiſſe tuorum,
Qui veluti numero ſuperamus ſidera Lædæ:
Sidera, quæ tenebras ſubeunt, lucemque viciſſim:
Immenſo vinci nunquam patiemur amore.
Quare age, quæ tantæ vexent præcordia curæ,
Ne dubites aperire tuo, bone Lygdame, fratri.
Sic tua vota Deus nemorum quicunque virentes
Concelebrat ſaltus, gelidiſque in montibus umbras,
Audiat, & centum concedant fata nepotes:
Ruricolas omnes, nympharum ſanguinis omnes.
Lygd. Si quid amas fratrem, placidiſſime Thyrſi, parumper
Hinc abſcede, rogo, & ſolus ſine cuncta volutem,
Quæ mihi cor variis miſerum cruciatibus urgent.
Sic dolor interea, & rodentes pectora curæ
Me mihi reſtituent: ſolum requieſſe juvabit;
Gliſcit enim mœror, multòque ferocior exit,
Si renovare cupis, ſanati vulneris inſtar
Quod ſi fortè iterum refricas, obducta cicatrix
Os aperit, viruſque novo cum ſanguine fundit.
Thyr. Vrimur imò magis, cæco ſi carpimur igne,
Et magis atque magis vexat dolor intima clauſus.

Quòd

Quòd ſi lethiferum vulnus monſtrabis amico,
Dextram (quiſquis erit) porget fortaſſe medentem,
Et leve, ſi taceas, pallentem ad tartara mittet,
Unde redire Deus paucis dedit, omnibus ire.
Non, quæ vicinos angit, te torquet egeſtas,
Aſpexere quidem propiùs res Numina noſtras,
Paſcua ſunt nobis, pecoris nec copia defit,
Arva damus ſpatioſa aliis, qui noſtra quotannis
Horrea meſſe dato ſupplent pro temporis uſu,
Noſtra nec aufugit mitis vineta Lyeus,
Quæ ſatiare omnes poſſunt vel ſola Britannos:
Hauſta licet magis è gelidis nos fontibus unda
Delectet: pueris ea pocula prima fuerunt,
Viximus his ſemper contenti, Lygdame, rebus,
Qualeſcumque dedit nobis fortuna, vel ipſe,
Qui mare, qui terras, qui temperat omnia nutu:
Nec tibi ſævus amor (Divûm licet ille fatiget
Corda) nocet, vitam novi, moreſque priores:
Cedit Amazonius juvenis, domitorque caballi,
Qui dedit Aonio primordia mita liquori.
Da, precor, hanc, frater, frater chariſſime, tantæ
Mœſtitiæ cauſam, & precibus deflectere noſtris.
Lygd. Audi, quando quidem cogor tibi vera fateri:
Dum nuper pecudes numero ſublimis ab altâ
Rupe meas, oculiſque patentia metior arva,
Inter oves aries villo nitidiſſimus aureo
Subjicitur, qualem nunquam videre coloni
Tempore ab hinc longo noſtris regionibus ortum:
Hinc mihi ſpes gregis, & telæ, lactiſque tepentis,
Nec ſperare nefas vobis hinc otia vitæ,
Hic illo melior, Phrixum qui dicitur olim

(Ut

(Ut narrare ſenes memini) vexiſſe per altum,
Cujus ut in patriam vellus portarat Jaſon,
Credidit æquoreis puppim temerarius undis:
Sed me dira lues, peſtis metuenda timori,
Qualem terrarum vindex non perdidit unquam
Amphitrioniades, ſpoliavit munere tanto
Ore lupus rabido immitis, rictuque cruento
Nunc circum ſtabula alta fremens ululatibus agros
Terret, & exitium ſævâ quoque cæde minatur
Illi, qui magnis paſtorum plauſibus errat,
Cuique nitent ſimili ditiſſima terga metallo.
Præterea exiguis poſitum ſub vallibus hortum
Damnorum intravi ſecurus: viſa jacere
Querquus humi, manibus querquus plantata paternis,
Unde legebamus glandes, alimenta quotannis
Non ingrata pigris ſuibus, ſed truncus inhæret,
Fixus adhuc terræ, & ſalvis radicibus extat:
Inde renaſcetur, ferietque cacumine cœlum
Altera, quæ nobis eadem ſolatia querquus
Præſtet, detque novis gratam ſub frondibus umbram,
Dum ſuadent raucæ ſomnos captare cicadæ,
Terraque Phœbeo diffinditur uſta calore:
Quæ ſi ſpes animo caderet (pro Juppiter!) ultra
Caucaſeas irem rupes, tua vincla, Prometheu,
Æthiopumque domos, & nigri Memnonis arva
Invia luſtrarem demens, & fervida Nili
Ora vagus fruſtra conarer adire latentis;
Sed caderent armenta priùs jugulata, nec ipſis
Extructis dudum tectis Vulcanius ardor
Parceret, ut nunquam poſſet fortuna nocere,
Nec rabiem exercere ſuam, nec dira minari
Amplius:

Ampliùs; ipſe etiam Hetruſcis qui paſcit in oris
Janus oves pingues, atque aſpera rura frequentat
Tam procul his abſens oculis me nocte dieque
Suſpenſum miſerè, & ſemper peiora verentem
Sollicitat; nam menſe dies, & longior anno
Menſis: & hora die mihi tardior ire videtur.
Quæ te, Jane, decus noſtrum, quæ cauſa moratur.
Quin viſum properes charum fidumque ſodalem?
Hoc niſi pollicitus multùmque diuque fuiſſes
Jane, mihi, cuperem potiùs mea membra revelli
Montivagis lacerata feris, quàm temporis ullum
Te ſine momentum Polyphemo ditior eſſe,
Illo, cui plures pecudes, quàm ſidera cœlo,
Illo, cui plures agni, quàm gramina campis.
Ipſe licet veteris vivas oblitus amici,
Atque abſens noſtras contemnas uſque querelas,
Non ceſſabo tamen Jani meminiſſe, tuumque
Servabo penitus fixum ſub pectore vultum,
Et Janum valles, præruptaque ſaxa ſonabunt,
Fiſtula dum manibus fuerit, dum ſpiritus ori.
Alph. Jane, veni optatam ſocio allature ſalutem,
Deſere diſcordes agros, miſeroſque tumultus,
Nec te pœniteat migrare in paſcua noſtra:
Hîc ver nonnunquam eſt, ſunt & paſtoribus umbræ,
Si quando æſtivo caneſcunt pabula ſole,
Hîc congeſta focis advolvere robora quibis,
Tempore quo hyberni ſpirabunt frigora chauri.
Hîc buxeta etiam varias imitata figuras,
Quæ circum Satyri ludunt, Dryadeſque puellæ.
Thyr. Alphiſibee, vides quantis exercita fatis
Vita ſit, & quantis jactemur quiſque procellis?

Qui

Qui dicebamur nimiùm, nimiùmque beati,
Quorumque invidiam pecus excruciabat amaram:
Sorte minùs lætâ (incertum quo Numine læſo)
Utimur, & ſævo fortunæ obtundimur ictu.
Alph. Non hæc, Thyrſi, mihi, non hæc mihi mira videntur:
Namque hac lege ſumus nati, ut nunc proſpera rerum
(Si qua tamen poſſunt in terris proſpera dici)
Securos reddant: ſubitis nunc triſtia curis
Sollicitentque agitentque animos nil tale timentes.
Has rebus tribuere vices vel fata, vel ipſe,
Cujus numine & herba viret campo, & ſata ſurgunt,
Et volucris charos ſuſpendit ab arbore nidos,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſit.
Qui ſapit heu nolit rebus confidere lætis,
Rurſus in anguſtis meliùs ſperare neceſſe eſt,
Tempora mutantur, præſens fortuna recedit.
Nil ſtabile eſt uſquam, nil longo tempore durat.
Nam quas nunc paſſim ſilvas frondere videmus
Deponent viridis jam lætum frondis honorem,
Et quæ vix ſurdo labuntur flumina curſu
Aggeribus ruptis quondam ſtabula alta, boveſque
Diripientque trahentque, viris nec turbida parcent.
Sed quid ego hæc, fratres? quid vos mea verba morantur?
Ire domum tempus ſuadet: præſepia tauri
En repetunt ſaturi, & gelido micat heſperus aſtro.

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO ZACHARIÆ CONTARENO EQUITI S.

PApinius Statius, Poeta omnibus fortaſſe anteponendus, (Platonem, hoc eſt, Virgilium ſemper excipio) ſylvarum ſuarum libris Epiſtolia proponit, rerum videlicet, de quibus agit, argumenta. Ego verò Ecglogas meas edidi ſingulas cum ſingulis Epiſtolis ad eos, quorum præſidio, & favori labores meos dicavi. Idem & in præſentiâ factito, Zacharia humaniſſime; ut conſtet, unum te eſſe omnium maximum, quos inſtar Numinis adoro, quos colo, quibus, quidquid eſt in me otii & ingenii, acceptum refero. Cæterùm ſtilo tenui velim imputes, quòd præterniſi pleraque omnia, & quæ ipſe præclare egiſti: & quæ maiores tui cum ſummâ apud vos dignitate ſunt indepti. Non enim tantarum opum capax eſt ruſculum modico vix farre refertum. Hæc igitur differo in aliud poema, non rureſtre, quale eſt hoc, ſed urbicum & civile, quod jam parturio, & propediem (modò Lucina faveat) enitar. Vale. Rhodigii Nonis Januarii. MD. in toto Polineſo præfecturæ tuæ menſe Quinto.

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

EGLOGA VIII.

INTERLOCUTORES

Contarenus, & Barbadicus.

ERridani ad ripam, molli qua leniter unda
Adriaco Venetæ ludunt in gurgite Nymphæ
Rupe ſedens celſâ pecudes numerabat, & hædos
Barbadicus ſenior, ſancto cui plurima mento
Canicies pendet: ſulcant cui tempora rugæ
Emeritæ, longique dies & mitius ævum
Neſcio quid præter mortalem addebat honorem.
Contarenus ut hunc vidit, de more ſalutat,
Paſtor & ipſe ſatus priſco de ſanguine avorum,
Mox prior alloquitur, tenuere ſilentia ſilvæ,
Et dictis duræ flexere cacumina querquus,
Et pater Eridanus præcinctus arundine crines
Riſit: & immotâ ſtupefactus ſubſtitit undâ.
Cont. Sancte pater, quæ cura tibi? quid pectore verſas
Jam dudum tacitus? numero tibi ne quid in illo
Deſit, agis? quònam prudentia tanta receſſit?
Scilicet hoſtilem rabiem, aut inimica luporum
Ora times? populetve tuos exercitus agros?

Et

Et nobis vires, & tela nocentia latè,
Et tibi inacceſſo ſurgunt præſepia ſaxo
Tuta procul, pharetræque tibi, forteſque moloſſi,
Sancte pater, curis ſacram quaſſare ſenectam
Deſine, & urgentes præſago pectore caſus
Voluere: laſcivos paſtor curaverit hædos,
Quæque gregi tellus meliores proferat herbas,
Diſtat enim, errantes pecudes quæ pabula carpant:
Lac ſiquidem niveum ballantibus inficit agnis
Herba mali ſucci, aut viridi calcata chelydro.
Denique quidquid agri poſcunt & rura laboris,
Sedulus impendas opus eſt, ſi forte benignam
Eſſe cupis Cererem tibi: rem ſudore paternam
Augebis, faciliſque Pales tua ſepta replebit,
Quique olim venient eâdem de ſtirpe nepotes,
Carpent poma tuâ felices conſita dextrâ:
Sæpe: reliquit avus, dicent, hæc jugera nobis,
Jugera, quæ centum poſſent ſatis eſſe colonis:
Illius hæc certe labor, & vigilantia fecit:
Non ſomno indulſit pernox fulgentibus aſtris:
Nec vano abſumpſit labentia tempora ludo,
Sed ſterilem aſſiduo laſſavit vomere terram:
Sed cultu indociles docuit miteſcere campos,
Difficiliſque gravi ceſſit natura labori,
Quæque boves paſcunt, pecudeſque, agnique petulci,
Temporibus fuerant illis loca pervia cymbis:
Nil niſi rana loquax, & acutâ cuſpide junci,
Et viles ulvæ, limuſque & dira mephitis,
Hîc ubi nunc ſegetes, ſpatioſaque paſcua tauris:
Hîc ubi nunc crebris reſonant grunnitibus arva,
Poſteritas tumulum faciet tibi læta tuorum:

Purpureiſque tuam reſperget floribus urnam:
Et juxta fontem, mollique ſub arboris umbrâ,
Carmina paſtores cantabunt ſacra quotannis:
Sacrataſque tibi vivo de ceſpite ponent,
Quas circum ludant, votis ſolemnibus, aras.
Interea, venerande pater, pater unice, nobis
Quod ſupereſt, eadem duc per veſtigia vitæ,
Et pendère tuâ noſtram memor eſto ſalutem.
Ipſe ego quid faciam, paucis ſic accipe: ſervo
Hæc armenta, mihi quæ commiſere parentes,
Pabula læta quibus, gelidisque è fontibus undam
Sufficio: ſcabiemque averto, truceſque podàgras.
Imprimis aliena gregi contagia noſtro
Arceo: namque meis hæc cura parentibus una eſt:
Dumque meæ paſcuntur oves, tutiſſima quæro
Otia, cumque meâ vivo fœliciter Albâ,
Alba, quam junxere mihi Chariteſque, Venuſque:
Alba, cujus amor creſcit mihi ſemper in horas:
Alba, quam Dryades, & adorant Najades: Alba,
Quæ cunctis præſtat forma, & virtute puellis.
Hinc nati gemini, quos vix dignoſcere poſſis:
Uſque adeo par eſt ætas, par forma duobus:
Hinc etiam genitus Daphnis mea maxima cura:
Hinc alii, quos Nympharum de ſanguine credas.
Quid tibi fæmineam prolem, cui ſydera cedunt
Aurea? quid generos referam? da Jupiter, oro,
Da mihi (quid ceſſas?) dignos hac ſtirpe nepotes,
Agricolas omnes, & dulcia rura colentes.
Plura locuturum ſic tandem affatur amicum
Larbadicus: properare feras, properare videres
Ilice frondoſos quaſſante cacumina montes,

Omnia

Omnia grandævum quæ mox ſtupuere Poetam
Carmina fundentem Aoniis rorantia lymphis.
Barb. Fidere fortunæ nolit mortalis: & unde
Vectus ad alta memor vitam ſic temperet omnem:
Ne ſubitâ invadant inopinum clade procellæ;
Nam plerumque vides antiquo robore quercum
Viribus arctoi pronam ſubcumbere venti,
Quamvis illa alte radices egerit olim:
Et luctata diu victrix certamine longo
Perſtiterit patrio tendens ſua brachia cœlo:
Haud ignota tibi canimus, nam plurima noſti,
Conceditque tuis ætas maturior annis:
Trinacrii Polyphemus erat ditiſſimus agri,
(Ut narrare ſenes parvo memini mihi) at illum
Cui tot oves fuerant, ignes quot in æthere fulgent,
Quot campis herbæ apparent, quot in æquore fluctus:
Conſiliis melior, aſtuque invictus Uliſſes
Lumine fraudavit frontis: truncumque reliquit,
Immani celſos tangentem vertice ramos
Arboris aeriæ: miſero nec profuit illi
Membrorum robur, nec vis metuenda Cyclopum,
Hos agros, hæc rura mihi (niſi provida virtus
Stat vallo munita ſuo, vigilatque ſubinde:)
Invida diripiet vicinia: barbarus hoſtis
Cum ſtabulis armenta uret: præſepia flammæ
Corripient: penituſque cadent quæ firma putantur
Omnia: & in cineres prorſus collapſa jacebunt.
Noveris hæc melius Venetos quo tempore primi
Paſtores inter tibi concedentur honores:
Cumque illis eodem fueris, chariſſime, quo nos,
Contarene, loco, geminas video ire columbas:

Atque

Atque omen firmare meum, nec enim procul abſunt
Idaliæ volucres, pulchræ gens grata Dionæ:
Spero fore, ut veniens aliquis de lumine vitæ
Nunciet hæc umbris olim gratiſſima noſtris,
Purpureos inter flores, & amœna roſeta.
Talia dicentem Muſæ mirantur, & ipſe
Frondenti lætus Daphne donavit Apollo,
Muta diu Faunis ſua lingua: ſed Heſperus alto
Præcipitat cœlo: nox intervènit opaca,
Et remorata, nigris terras complectitur alis.

DIVO

Digitized by Google

DIVO HERCULI DUCI

HERMICUS CAYADO Ulyſſiponenſis.

S.

VIrgilius decem Eglogas, ego dumtaxat novem rudi quidem atque informi fœtura edidi: ne cum Poeta eminentiſſimo certare de numero viderer: quamquam nihil intereſt, quantum quis, ſed quam bene ſcribat. Extremum hunc laborem, hoc eſt Eglogam nonam Sacratiſſimo tuo nomini dicamus, Hercules Dux circunſpectiſſime: Victimas alii tibi immolabunt opimas atque operoſas magis: nos farre hoc litare contenti erimus ad tuas aras: qui divino mentis tuæ fulgore ſupplicantis fidem perſpicis, animum minime ambitioſum agnoſcis. Vale, & qua ſoles tuos tuere ope, Ferrariæ. MD.X. Kalendas Novembres.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

EGLOGA IX.

INTERLOCUTORES

Alexis, Poliphemus, Amici.

Alex. QUin canimus pariter laudes, Polypheme Deorum?
Quid miſeros ſemper verſu celebramus amores?
Ingrati, heu! nimium ingrati, quibus otia divi
Tanta dedere, Alcides, & formoſus Apollo.
Poliph. Portentum eſt magnum juvenes cùm ſeria tractant:
Eſt magis hæc ætas placidis obnoxia ludis:
Sed quando inverſo nunc ordine cuncta videmus:
Dic age, ſi quid habes, nos Hercule digna canemus.
Alex. Sic, ut interdum pueri graviora loquantur,
Et quandoque ſenes narrent jocularia curvi,
Tu prior incipias Alcidæ promere laudes:
Nos noſtrum alterno dicemus carmine Phœbum.
Poliph. Arduus hirſutâ redimitus tempora fronde
Alcides, veluti celſis in montibus ornus,
Lataque dimenſus longo veſtigia paſſu,
Vel ſolo aſpectu terrebat comminus hoſtem.

Alex.

Digitized by Google

Alex. Non tam lætus ager viret undique floribus ipſis
Conſpicuus, genioque ſuo, quam pulcher Apollo
Purpureis ſine veſte genis, & crine decoro
Conciliatque ſibi ſuperos, & amatur ab illis.
Poliph. Alcides vix natus erat, vix luminis auras
Contigerat, geminos cum immenſis orbibus angues
Preſſit, & extinxit: veram tunc ſe Jovis eſſe
Progeniem oſtendit: factum mirante novercâ.
Alex. Confodit centum Phœbus Pythona ſagittis
Monſtrum horrendum, ingens, cui lurida colla: minæque
Terribiles: cui turpe caput, cui ſibila dira:
Gaudet adhuc pulſâ rupes Parnaſſiâ peſte.
Poliph. Non ne jugo patriam eripuit Tyrynthius heros,
Devicto tandem invictâ virtute tyranno?
Non ne ideo natam junxit, propriamque dicavit
Ipſe Creon, patriæque viro commiſit habenas?
Alex. Laomedonteos muros extruxit Apollo,
Unde duces nati, totum qui viribus orbem
Subjecere ſuis: quà fuſcos alluit indos
Ganges: quàque Tagus pleno fluit aureus alveo.
Poliph. Proh quantâ domuit metuendum mole leonem,
Quem nec flamma vorax, nec ferrum perdere poſſet:
Strangulat Alcides quaſſatis undique malis,
Hinc illud ſpolium tam clari pectoris index.
Alex. Cur tibi te Phœbus detraxit Marſia? non ne
Setoſum puduit Satyrum, raucumque, rudemque
Stridentem dulci ſtipulam committere plectro?
En direpta cutis docet haud contemnere divos.
Poliph. Quis neſcit cæſis iterum cervicibus Hydræ
Cervices creviſſe alias? ſed fœnore magno,
Namque duplex ſubito cæſa ſurgebat ab unâ.

Non

Non tamen Alcides niſi victâ deſtitit Hydrâ.
Alex. Fœmina Thebani elata ob connubia regis;
Proleque biſſena felix, & patre ſuperba,
Se quoniam Phœbi genitrici prætulit, omnes
Extulit immeritos demens natoſque, virumque.
Poliph. Obſtrictum bifidis aprum pedibus ſuper alta
Impoſitum cervice tulit, ſtupuere Erymanthi
Celſa juga, & labro latuit Rex abditus æneo.
Tantum erat Alciden vidiſſe hoc pondere onuſtum.
Alex. Concubitus Latonæ auſum ſperare Giganta
In ſilvis Phœbus confixit harundine crebrâ,
Nunc diſtinta novem per jugera vultur adunco
Viſcera contundit roſtro, fibraſque renatas.
Poliph. Stirpitus avulſos truncos, & robora dura,
Ardenteſque faces Centauri immania monſtra
Hac homines, hac parte feri, jaculantur in ipſum
Alciden: partim fuſi, partimque perempti,
Alex. Phœbigenam ſævus Lypareo perculit igne
Juppiter: Hyppolitum ſiquidem revocarat ab orco,
Fulmificos male multavit Cyclopas Apollo,
Hinc paſtor didicit noſtras inflare cicutas.
Poliph. Mænaliis curſu deprendit ſaltibus auro
Inſignem Cervam caput, illum præpete plantâ
Per ſilvas denſas, per agros, per prata volantem
Mirati venti Calaim, Zetenue putabant.
Alex. Jactatum genitale ſolum ceu cymba per undas
Errabas huc illuc impingentibus euris,
Te tamen ætherii pietas firmavit alumni:
Adde quod altricis gaudet cognomine terræ.
Poliph. Stymphalidas turpes nimium, fœdaſque volûcres
Terrarum vindex concuſſo aut reppulit ære,

Aut

Aut (ut fama canit) contento terruit arcu.
Viribus, ingenioque ſimul pollebat, & arte.
Alex. Sirenum cantus vincit, fidibuſque canoris
Parnaſſi Dominas mulcet citharoedus Apollo,
Hoc modulante lyram, quærebant Orphea ſilvæ,
Et curvo delphin portabat Ariona dorſo.
Poliph. Ferrea Biſtonii fregit præſepia Regis,
Humanoque feris ſatiatis ſanguine dirum
Mandendum objecit (ſic Dii voluere) Tyrannum:
Gaviſæ inferiis laceratæ immanibus Umbræ.
Alex. Tradidit ille etiam medicas mortalibus artes,
Herbarumque dedit ſuccos noviſſe ſalubres:
Scilicet ut poſſent homines producere vitam
Longiùs, & nonnunquam invitis vivere Parcis.
Poliph. Cerberon invitum ſtygiis extorſit ab umbris
Alcides, colubris horrentem & vellere tetro:
Fugit Apollo tuus monſtro ſtupefactus, & acres
Vertit equos, ſubitâ latuit caligine mundus.
Alex. Quod fuit, eſt & erit, novit divinus Apollo:
Ipſe quoque in dubiis haud vana oracula rebus
Poſcitur: hinc tripodes Clarii, hinc Delphica Phœbas
Non incerta fide totum celebrata per orbem.
Poliph. Terrigenas certare Deis Tyrinthius auſos,
Et Patrem ſuperis fruſtra detrudere regnis
Marte ſuo letho dedit, ò quid maius, Alexi,
Quàm pugnare hominem pro libertate Deorum?
Alex. Dat lucem Phœbus terris: hinc ſidera lumen
Accipiunt, hinc Luna ſoror, conſcendere Divûm
Auſus equos nemo Phœbi; quin dicitur olim
Hoc ſine rectore ambuſtum mare, terra, poluſque.
Poliph. Non eſt Herculeas numero comprendere laudes:

Digitized by Google

Qnid tibi Cretenſis Tauri, & Paſtoris Iberi
Exitium referam? Heſperidumque nitentia mala?
Dic age, uter maior, Phœbuſne, an Hyantius heros?
Alex. Quis neſcit, Polypheme, hominesque Deoſque potenti
Debere Alcidæ? pariter quo vindice terræ,
Et cœlum gaudet; nec enim indignatur Apollo
Vinci à victore Alcide: nec cedere turpe eſt.
Poliph. Gaudeo: ſic vivam felix, quòd judice nullo
Alcidæ primas dedimus, quem ſanctus adorat
Eridanus, Faunique colunt, Dryadeſque puellæ:
Soſpite quo, ſemper tranquillà pace fruemur.
Alex. An quiſquam Alciden auſit poſtpónere cuiquam?
An, Polypheme, tibi diſſentiat ullus in hac re?
Vade age, quò properas, ſed ſi, Titane reverſo,
Unà erimus, tum ſacra Deo, tum plura canemus.

EGLOGARUM FINIS.

HER-

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
THOMÆ
VINTONIENSI PONTIFICI
S.

VIx credo futurum, quod mireris, digniſſime Præſul, me, quem nec præſentiâ, nec nomine cognoveris, auſum ad Te, virum omnibus diſciplinis, ſacerdotioque eminentiſſimum, litteras dare, & eas quidem plus temeritatis, quàm elegantiæ præ ſe ferentes. Nam virtutis tanta eſt vis, ut quos nunquam vidimus, nobis conciliet, & abſentes mirificè amare cogat, & honore pluſquam humano perſequi. Cùm igitur fama, quæ nihil in tenebris deliteſcere patitur, quæ mirâ velocitate omnia, quantumcumque longo diſtent intervallo, patefacit, tuarum plèrumque laudum aures meas admonuiſſet; viſus ſum mihi præter officium facere, ſi pietatem erga Te meam diutiùs in ſitu eſſe contenderem. Roberto quoque ſtudiorum ſocio parum me debere hoc ſilentio profiterer: quæ ingratitudo propemodum inexpiabilis eſſet. Ille enim beneficiorum amplitudine effecit, ut ſuo nutu omnia, ſine ſuo conſenſu ſubeam nihil. Ille meis ſtudiis dat molle otium, animumque à curis extricat, ut nihil de lodice parandâ attonitus aliquid emoliar, quod illi & ad vitæ honeſtatem, & ad eloquentiæ candorem emolumento ſit: mihi verò gloriæ, laborumque levamini. Hoc unum noſtri (ut ille inquit)

inquit) ſumma laboris habet. Cæterùm Silvam hanc noſtram, dum maius quippiam parturimus, quod animum tuum publicis & privatis negotiis fluctuantem quadam veluti viciſſitudine demulceat, componatque, lætâ (ut aiunt) fronte excipias, Venerande Pater, Britanniæ veſtræ laudes in eâ quandoque deprehenſurus, ſuccinctamque eorum commendationem, qui, patriis ſedibus relictis, haud ſine multis vitæ incommodis peregrinantur: ut bonis artibus eruditi ignorantiæ rubiginem propellant, & patriæ ornamentum afferant maximum. Vale ſacratiſſime Antiſtes. Bononiæ. V. Idus Aprilis. Mccccl xxxxvi.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO
ULYSSIPONENSIS
SILVA I.
CUI TITULUS EST
BRITANNIA
Super Cœnam pronunciata.

QUi cupit exiguis magnas ſimulare tabellis
Urbes, & latum longis anfractibus orbem,
Rem penitus nullo complendam limite, grandi
Eſt opus ingenio, quali memoratus Apelles
Dicitur, aut quali Zeuſim fert fama fuiſſe.
Quod ſi contigerit, vix dignè cœpta ſequetur
Mortalis, faveant quantumvis numina Divûm.
Nam quis cum terris cœlum, quis Nerea parvo
In ſpatio finget, ſilvas cum montibus altas,
Et varios populos, limoſaque flumina, ſi vult
Servato rerum comprendere dextra nitore?
Aſtraque quis poterit cœlo fulgentia latè,
Signaque Phœbeos pictor biſſena labores,
Et Neptunus alit quæ monſtra tridentifer alto,
Ponere, in exiguo ſi ponere margine detur?
Non minùs hoc Regum præclara poemate dicam
Geſta Britannorum, aut quantas everterit urbes
Inſula:

Digitized by Google

Inſula, quæ magni nomen ſibi vendicat orbis.
Aut quot devictis tulerit Gens illa triumphos
Hoſtibus, illa quidem (convertite parciùs aures,
Si veſtræ tenui minuuntur carmine laudes:
Non creſcunt, quis enim eſt adeo tibi Phœbe, propinquus,
Quis tam Calliopes ſacro confiſus honori,
Audeat ut ſolo tot geſta volumine Regum
Promere, & inſignes, notam per ſæcula Gentem,
Laudibus, & dignis numeris efferre Britannos?)
Dives opum, & cunctis charæ Gens prodiga vitæ,
Impatienſque moræ ſubito concurrere ferro
Gaudet, & incertum propero certamine Martem
Explorare lubet, finemque imponere bello:
Tantus laudis amor, regnandi tanta cupido eſt.
Non viget hæc armis tantùm, ſed moribus, atque
Conſilio, colitur pariter cum Pallade Mavors.
Vos patriæ leges fertis, vos ſacra Quirini
Jura, quibus populi vitam ratione gubernent.
Vos Regi, vos ſceptra datis, compeſcitis iras
Vos hominum, inſidias arcetis, & improba facta.
Indomitum multâ quòd vulgus pace recumbat,
Quòd prèmat Henricus gentes ditione ſuperbas,
Molliat atque animos nutu, quòd temperet ingens
Imperium, & rerum ſolus quòd tractet habenas,
Veſtrum opus: hoc vobis Princeps debere fatetur
Magnanimus, facti largiſſima præmia teſtes.
Sed quæ (Dii magni) tot digna laboribus eſſe
Præmia tanta queunt, meritis quæ digna dabuntur
Munera? quis ſalſos, legum dum ſolvitis omnes
Sanctarum nodos, juriſque ænigmata ſacri

Penſatis

Penſatis, rores, mediâque in nocte lucernæ
Ex cubias vigilis, ſomnoque videntis ocellos
Sæpe graves, ſimul & capitis nutare cacumen.
Prætereo tumidi quam ſæva pericula fluctûs
Pertulerit, navem huc illuc jactantibus auſtris,
Quiſquis in Italiam venit manſurus Athenis
Felſineis, urbis compulſus nomine doctæ.
Et quot terra metus venientibus undique vobis
Objiciat, narrare labor: quot frigora, quotque
Ventos, quotque nives ſervent in montibus Alpes.
Et tamen accendit moribundas ſpes bona vires,
Et leviora facit rerum diſcrimina ſemper;
Nam faſces regni, & magnos promittit honores:
Haud ſecus Oceani ſubnixo corde refluxus
Mercator tolerat, puppim dum cernit onuſtam
Mercibus, unde malum ſpernat, quod triſtis egeſtas
In rebus duris miſeris mortalibus affert.
Si, Roberte, manent meritis te præmia digna,
Et ſi quid Superos pietas movet integra, frontem
Ecce tibi video rubro fulgere tiara.
Neſcio quid maius mentis præſagia volvant,
Sed certè volvunt mentis præſagia maius.
Vates numen habent, nec ſunt ſine numine vates:
Impetus eſt ollis, & rerum maximus uſus,
Atque animos verſant divinæ ſemina mentis:
Quod bona poſteritas damnetve, probetve, Poetæ
Deſcribunt, mores hinc, hinc exempla petuntur.
Admovet & ſtimulos nobis quoque magnus Apollo,
Interdumque mihi calamos Pan tradit agreſtes,
Et pinu redimit caput, & dat ſcire futura.
Quo magis his adhibete fidem, nec credite vana

Carmini-

Carmina, quæ Baccho promunt agitante poetæ.
Quiſquis eris noſtram quamcumque tuebere laurum,
Lantone, præſidium noſtræ & ſpes firma camœnæ,
Maiori, quàm noſtra petant, fulcire columnâ
Tecta potes, nixûs non ſunt mea robora tanti.
Tu mihi livoris dederis contemnere morſus,
Latratuſque canum, & falſæ mendacia linguæ.
Ante ſuum, terras quo luſtrat ab æthere, Phœbus
Perdiderit lumen ſtygiis tenebroſior undis:
Ante Jovis fulmen mortalis dextra per auras
Vibrabit metuendum ſontibus: ante Maronem,
Cui Romana dedit merito facundia palmam,
Barbarus altiſono ſuperabit carmine paſtor:
Ante ſenex ferulâ tremulos qui ſuſtinet artus,
Robore nodoſo Alcidæ ſpolioque leonis
Ætneos fratres proſternet, & oppida multa,
Quàm laudeſve tuas unquam, nomenve ſilere
Suſtineam, dum vita mihi, dum ſpiritus extet,
Aut quàm Pontificis deſiſtat gloria Thomæ
Attolli: faveat modò vel Pythonis Apollo
Victor, & Arcitenens, fautorque, paterque canentum:
Vel quæ virgineis manantes fontibus undas,
Indigenaſque colunt rupes, Montemque ſonorum.

HER-

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
ULYSSIPONENSIS
BENEDICTO BARBATIÆ
MAGNI BARBATIÆ FILIO
S.

ORationem, quæ pedibus, numerisque constat, Benedicte doctissime, solutâ priorem non ignoras. Primus Pherecides pertæsus (ut suspicari lubet) dicendi limites arctiores, liberiùs evagari ausus est: cùm videret Poetis non licere esse tam disertis. Quippe qui etsi cum oratoribus commune habent, ut & sententiarum pondere scateant, & singula quæque copiosè, simul & ornatè dicant: eo tamen planè differunt, quòd & legibus severioribus tenentur, & in his angustiis hærent interdum, ut vix pedem proferre liceat. Ego verò visus sum mihi facturus operæpretium, si veterem morem (quod & quidam nostræ ætatis homines factitarunt) obsoletum jampridem à tenebris in lucem assererem, quod sanè opus agressus sum, Te maximè hortante, qui facilè speraſti fore, ut nihil non cum dignitate dicerem, etiam ligatus, & compeditus. Fefellit Te non judicium, quod integrum Tibi est, & Aristarcho dignum, sed magis amor in me tuus: cui plus fortasse, quàm decuit, indulsisti. Illud mihi saltem profuerit: frontem perfricui, callum obduxi, Ronchos nihil moror, Democritus aliàs in quosdam fui jam

mihi par pari relaturos. Quidquid id eſt, quod coactus abs Te perſolvi, pietatis ſcilicet erga Te noſtræ teſtimonium dedico Tibi viro imprimis ſtudioſiſſimo, & illuſtriſſimi Bentivoli, cujus laudes delibavi, conſanguinitate propinquo. Deprendes certè ex hoc munuſculo, & quanti à me fias, & quantum abs Te coli, & amari exiſtimem Bentivolum Principem tuum, cujus præclara geſta decantari cupis à viris facundiſſimis, qualem eſſe me, Tibi falſò perſuades. Vale. Bononiæ, Idibus Maii. Mccccxcvii.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

SILVA II.

Ad Tribunos plebis Bononiæ pro roſtris pronunciata.

QUid tibi? quid mecum eſt? quo me, Tymbræe, per auras
Huc illuc vacuas raptas? gyroque volutas
Inſanum? quònam iſte furor mentemque animumque
Præcipitem trahit? en video, mihi ſerta, fidemque
Ipſe Deus, Deus ipſe manu dat, & increpat ultrò
Cunctantem, oblitumque mei, caſtigat, & arcet
Uſque moras, cerno armatos inſtare Tribunos
Plebis, & ingentem populi geſtire coronam
Neſcio quid, linguiſque, animiſque favete, ſequemur
Juſſa Dei: nec enim Divos contemnere tutum.
Poſtquam Romanâ Reges furor impius urbe
Expulit, & venerem Lucretia paſſa nefandam
Perfodit gladio pectus miſeranda pudicum,
Et ſeſe caſtis per vulnera miſcuit Umbris,
Aurea libertas populo juga ſæva ſuperbi
Jamdudum paſſo aſſuetâ cervice Tyranni

Fulſit:

Fulſit, & afflictâ ſedem ſibi fixit in Urbe.
Errat inops Regis fruſtra ſubnixus Hetruſci
Auxilio Phrygiâ quondam dominatus in arce
Tarquinius, diſcitque pati mala mutua pulſus,
Solvit & inferias violatæ virginis Umbris.
Quis furor exagitat Reges? quæ cæca voluptas
Urit corda ducum rebus tumefacta ſecundis?
Ut quâ ducit eant ſine fræno dira libido,
Immemores æqui, & Divis poſt terga relictis.
Inſtabile eſt regnum, juris ſi cura receſſit.
Urget enim miſeros immenſa licentia duri
Principis, invitoſque monet per tela ſalutem
Quærere, & armatos ſeſe mucrone tueri.
Sic ſonipes nimio preſſus ſub pondere currûs,
Atque viæ longæ impatiens, quem pulvere feſſum
Automedon ſcuticâ & magno clamore fatigat
Sævitiam domini pertæſus, & improba ſæpe
Verbera, colla jugo largo ſudore madenti
Eripit, & ſeſſorem ipſum deturbat ab axe.
Quid facient homines, ſtimulat quos gloria ſaltem
Maiorum? audebunt quæcunque ſubire pericla:
Maluerintque mori pulchrè, quàm turpiter auras
Carpere vitales ſub ſceptro Regis iniquo.
Dic age, Muſa, precor quonam rectore Gradivi
Gens vixit? potuit ſine Principe tuta manere:
Cum videas aliquo mundum ſub faſce moveri,
Quo ſine terrarum ruerent & pondera cœli?
Omnes eſſe ſui cœperunt juris: abitque
Ille metus, linguiſque data eſt quæcunque loquendi
Libertas: culpare trucis fera facta Tyranni
Unanimes pergunt, tutari & mœnia ferro.

Sed

Sed ne cui patrare nefas impune liceret,
Qui regat imperium, qui rerum tractet habenas,
Roma Magiſtratum, jam libera Roma creavit,
Inſtituitque duos, æquo qui munere curas
Conſocient regni, Patrumque exempla ſecuti
Conſilio patriam ſervent, & jura ſubactis
Dent populis, cœpto perſtat dum Phœbus in orbe,
Conſulibuſque dedit nomen, dominique peroſa eſt
Æternùm vocem, Regum haud oblita priorum.
Nec Deus incœptis qui temperat omnia nutu,
Abfuit exiguis, nec adhuc conſtantibus auſis.
E cœlo in terras, antiquaque regna redire
Juſtitiam juſſit: Pietas hanc deinde ſecuta eſt,
Quas coluere Deas Romani ante omnia Patres,
Firmius eſſe rati imperium, æternumque futurum,
Intra dum tales habitarent mœnia Divæ.
Quid memorem juſtos natorum ſanguine patres
Commaculaſſe manus, cùm libertatis amore
Pignora chara dedit letho ſua viſcera Roma?
Nam bona pars juvenum meliore ex gente, libido
Effrænis quorum fuerat, dum regna manebant
Tarquinii, ritu ſolitos ſe vivere Regum
Dum repetunt animo, vitam moreſque priores
Sanctarum haud paſſi imperio ſubcumbere legum,
Quæ ſontes graviter nullo diſcrimine plectunt,
Et precibus claudunt aures, veniamque recuſant
Indulgere, licèt meritis ſis fultus avitis,
Innumeroque auro vincas Crœſumque, Mydamque.
Adde quòd æquævi juvenilia corda movebant,
Cum quibus à primis ætas accreverat annis.
Hos extra patrioſque lares, regnumque fugatos

In

In patriam revocare parant, quo tempore Titan
Oceano dimittit equos, atque ignea toto
Aſtra micant cœlo, & terras complectitur umbra.
Conſenſûs igitur diri jam littera teſtis
Pernicie juvenum calamo, digitiſque notatur,
Promittitque aditum ſomno clam nocte ſepultis
Civibus, utque ſimul veniant hortatur, & inſtat.
Heu quantum populi, patrumque cruoris in illis
Cernere erat tabulis, propiùs niſi fama fuiſſet,
Quæ res è tenebris tantas emiſit apertam
In lucem, fidumque ſuo tunc numine ſervum
Afflavit, linguæque dedit neſcire tacere,
Pollicita ob factum vindictæ nobile nomen,
Quod poſtremi etiam memorentque, colantque nepotes!
Conſilium infandum vigilantis cura Senatûs
Diſſimulat notum ſibi, ne quid in urbe tumultûs
Eſſet, & extinxit ſubitis humoribus ignes
Jam jam Romuleæ populantes culmina molis.
Dant facti pœnas juvenes ſpectacula vulgi,
Lictores virgas ultrices, deinde ſecures
Expediunt, animaſque truces ſub tartara mittunt.
Spargitur & fato ſanguis damnatus eodem
Conſulis alterius, patriæ qui commoda mavult
Conſervare ſuæ, propriis quàm parcere natis.
Ignaræ juvenum mentes, facileſque moveri,
Ut nutant tenui frondes in robore vento,
Quoſnam operum fructus? ſceleris quæ præmia tanti
Speraſtis? tali ne fide per ſæcula nomen
Quæritur infernæ ſuperans oblivia Lethes?
Servitio patriam antiquam, populumque cruentâ
Cæde, & flagranti Mavortia tecta ruinâ,

Conſu-

Consulis eripuit pietas notissima Bruti.
Hos bona posteritas gaudet memorare, situque
Vendicat, & clarâ tollit super æthera voce.
Non ideo penitus restincta est pestis in Urbe,
Orbis reginâ quondam, multosque per annos
Imperio & terras latè, pontumque tenenti.
Nobilium sed enim non æqua potentia plebem
Vexabat, quando miseros qui deprimat usquam
Defuit? usque adeo se infræna superbia tollit,
Insultans vulgi capiti, turbæque minori.
Quare agite, ò Cives, tuque ò sanctissime Præsul,
Vosque omnes audite Viri, quos Felsina tanto
E numero populi felix sortita creavit
Tutores humilis plebis, legumque ministros,
Expediam paucis sacri primordia honoris.
Principis à primâ repetamus origine Gentis
Autorem, casusque suos, patriæque ruinas:
Cuncta Cupidineos arcus, Veneremque prophanam
Sollicitasse liquet, causasque fuisse malorum:
Arserunt rapido Vulcano mœnia Troiæ.
Venit in Italiam per tot discrimina rerum
Dux Anchisiades genitricis crimine, & altæ
Inclyta progenies fundavit mœnia Romæ.
Principio eventus felicior; inde potentis
Orbem terrarum populi fortuna subegit
Jura pati, quæcumque darent victricia sceptra,
Et nisi Tarquinii scelerata libido fuisset,
Ipsaque Roma diu Regum juga fœda tulisset,
Nec Bruto pietas tam clarum nomen in orbe
Egregium ob facinus natorum in morte dedisset.
Quis tam firma dedit Romanis jura Tribunis?

Nempe

Nempe Venus, patriâque manu Virginia campis
Elyſiis demiſſa, gravis ne injuria, & ingens
Dedecus in ſeros deſcenderet uſque nepotes.
Scilicet hinc rabies populi, & diſcordia maior.
Appius ardenter formâ præſtante puellam,
Plebeam, pulchrâ ſed virginitate decoram
Deperit, & miſerè duro vexatur amore,
Cui nullâ ratione poteſt, nec legibus ullis
Obuius ire, nefas animo quodcumque minatus,
Dum votis parere ſuis, vetitoque potiri
Fata darent: tantos nutribat corde furores.
Quid referam inſomnes noctes? quid nomen in ore
Virginis aſſiduum? verſant incendia mentem,
Oblitumque ſui reddunt, uruntque medullas
Admiſſæ flammæ, totoque in pectore perſtant.
Cedere jura ſibi, Divûm qui corda fatigat,
Fecit Amor dominus ferus, implacabilis, acer.
Eumenidum potius furiis, & ſulphure tetro
Inflammata putem præcordia; namque hymenæos
Solvere tentavit, fœduſque, & vincula demens
Connubii ſacri, ſocioque avertere lecto
Corpora conſenſu dudum jungenda paterno.
More ruit pecudum, rapiturque cupidine cæcâ
Appius in fœdos contra rectumque, piumque
Concubitus, poſſunt corrumpere nulla pudorem
Munera virgineum: virtus quid munera curat?
Ille tamen veneris ſtimulis agitatus iniquæ
Æſtuat, ut magnis clauſus fornacibus Ætnæ,
Optataque frui meliùs quò virgine detur,
Armat inauditâ ſubmiſſum fraude clientem,
Qui ſe dilectæ ſimulet dominum eſſe puellæ,

Subtra-

Subtractamque olim furto, ceu fabula turpem
Obtegat accitis nixum, culpamque tenebris.
Quàm malè diſſimulas, quis enim non crederet agnam
Velle lupo innocuam te commiſiſſe rapaci?
Nil agis, infelix Appi, caſſùmque laboras,
Exemploque tuo leges violare timebit,
Quiſquis rem populi tractat, populique ſalubri
Juſtitiâ curvos debet componere mores.
Ah ſaltem genitor quod ſumpſerat arma puellæ,
Quis patriæ fines, regnumque extenderet ultra
Tunc abſens, inter verſatus funera mille,
Eſſe domum tutam ſineres, & labe carentem.
Triſte humeris aſportat onus (miſerabile viſu,)
Trajectam ferro natam Virginius illo,
Quo ruerat charæ patriæ metuendus in hoſtes:
Reſtitit haud aliter diri conatibus Appî
Infelix pater. O hominum ſator, atque Deorum
Juppiter, O Mavors, Romanæ conditor urbis,
Uſque adeo ne gradu lento vindicta ſuprema
Supplicium tanto dignum de crimine ſumit?
Debuit artificem ſceleris ſorbere repente
Flumine virginei tellus perfuſa cruoris.
Circunfuſa ruit magno, juſtoque tumultu,
Et rurſum à patribus ſeceſſit concita plebes.
At verò tenebras latebroſi carceris intrat
Ille, domum plebis quas appellare ſolebat
Impius, hîc faciles ruperunt ſtamina Parcæ,
Stamina, quæ multos annos ducenda fuiſſent.
Virginis ulta necem, validiſſima jura Tribunis
Impetrat à triſti plebes Romana Senatu,
Nequicquam ad patrios aliter reditura penates.

Hîc honor ætatem noſtram duravit ad uſque,
Magnanimi Cives, & erit tibi, Felſina ſemper:
Hunc gerite auſpiciis pariter felicibus omnes,
Et patriæ ſervate decus, ſervate parentem:
Quorum quòd breviter tentem percurrere laudes,
Vatis opus magni, & longis memorabile ſæclis
Parcite mirari, & bibulas date verſibus aures.
Nam me veſter amor, pietaſque inſignis in urbem
Muſarum altricem rupiſſe ſilentia fecit.
Urbs hæc, quam colitis, muro veneranda vetuſto,
Dum fuerint homines, fuerint dum ſidera, & alto
Neptunus paſcet nitidos in gurgite piſces,
Æternùm Latio ſervabit Felſina nomen,
Felſina, temporibus veterum non indiga laudis,
Temporibus noſtris alienæ haud invida famæ.
Notaque ſemper erunt fortiſſima geſta ſuorum,
Devictique hoſtes, durique incommoda Martis,
Quæ narrare poteſt nemo, licet undique linguis
Circunſeptus agat tot, quot cervicibus hydra
Herculis ærumnas auxit per vulnera centum,
Effugiens lethi fatum, ſtygiamque paludem.
Troius Anchiſâ genitus, cum bella pararet
Rivalem in Turnum, non hinc invicta recepit
Arma, viroſque, quibus furibundum comminus hoſtem
Funderet, & charâ potiretur conjuge ſolus?
Nonne laboranti ſuccurit Felſina Romæ,
Cum Latios vaſtaret agros, multiſque ruinis
Annibal Italiam rueret, ceu fulmen in arva
Saturni miſſus Phrygios abolere nepotes?
Hentius (hæc etiam Mutinenſes vera fatentur)
A quo ſuppetias quondam, auxiliariaque arma

Rebus

Rebus in extremis vicina petiſſe coegit
Felſina Marticolûm ſemper fœcunda virorum,
Rex atavis clarus, duriſque timendus in armis,
Haud procul hinc capitur magno certamine victus.
Sed nullæ fregere preces, pretiumve, minæve
Victores animos, ſinerent in regna redire
Cæſaris incolumem natum, huic & Corſica dives
Soli parebas, & gens Sardoa Tyranno,
Exuviis cujus nunc priſca Bononia gaudet.
Auratus tumulus, præruptaque marmora ſervant
Sacratos Regis cineres, atque oſſa ſepulti.
Prætereo Venetos, veſtræ qui robora claſſis
Experti placidæ junxerunt fœdera pacis:
Adriaci teſtes fluctûs, ac littora ponti,
Quæ veſtræ legere rates, prohibentibus illis.
Non ego Felſineos veni narrare triumphos,
Quippe nimis longum rerum monumenta referre:
Quas veſtri geſſere patres, terrâque, marique.
Anceps Mars quandoque venit, Victoria eodem
Neſcit ſtare loco, dubiisque per aera pennis
Nunc hæc caſtra petit, vario nunc illa volatu.
Quocirca paſſos clades non abnego, ſemper
Quis populus victor? nec Mavors vulneris expers
Manſit apud Troiæ muros; quin Juppiter ipſe
Prælia ſævorum fertur fugiſſe Gygantum.
Corda tamen nullo ſuperati turbine belli
Veſtri Maiores adamantina, tecta voraces
Quamvis corripiant flammæ, Rhenuſque recenti
Sanguine finitimos calefactus compleat agros.
Quid populum innumerum loquar? arvaque ditia frugum?
Læta quibus longè concedunt Gargara, meſſor

Quam-

Quamvis miretur Cereris parciſſima dona,
Æſtus ſi quando, aut pluviæ nocuere colonis.
Adde quòd altiloquis gaudebat Pallas Athenis:
Sortilegis pulcher Delphis gaudebat Apollo:
Numina Felſineos hæc jam coluere Penates:
Tranſtuleruntque ſuas ſimul in nova mœnia ſedes,
Urbis amore capi nimio quò conſtet, in uno
Sic modò quæ fuerant latum digeſta per orbem,
Poſſe manere loco didicerunt Numina cœli.
Hîc regnant leges: loquitur facundia: cauſas
Rerum hîc ſublimes animi novere latentes.
Nec te, Bentivolæ Princeps clariſſime Gentis,
Quo magis haud ullo ſe Felſina jactat alumno,
Corporis, atque animi dotum ſine parte relinquam.
Qualis Pelidés juvenis per Theſſala Tempe
Incedit pulchro ſpectandus corpore, & omnem
Vertice Faunorum turbam ſupereminet alto,
Cui matutino ſiccavit ſole capillos
Nereidum ductos vitreo ſub pectine mater,
Talem Felſineus populus miratur euntem
Inſigni formâ patriæ patremque, ducemque,
Quam non ulla dies, non ullum tempus ademit,
Quamvis luſtra viro jam dena peregerit ætas
Mitior, & ſerpat meritis veneranda ſenectus.
Quod vos, illuſtres Cives, fortiſſima bello
Pectora, Gallorum incolumes dimiſerit ille
Impetus excidium Latio, finemque minatus,
Principis hujus opus, cujus prudentia fecit,
Barbara ne veſtros vaſtarent agmina campos,
Diriperentque urbem ferro, pueroſque necarent,
Et quæ multa hoſti indulget fortuna ſuperbo.

Infelix

Infelix Italas diſcordia concutit urbes,
Semper in arma vocans populos civilia, ſemper
Terrificis quatiens ſublimia tecta ruinis.
Sanguinolenta comas, centumque accincta ceraſtis
Irritat miſeros cives, ac provocat ultrò.
Quæ magis hac olim quàm veſtra Bononia peſte
Urbs vexabatur? quæ tanta incendia? quæve
Tot mortes miſerata virum? tot paſſa tumultus?
Quot Syllas, Marioſve tulit? quot vulnera Gracchi
Felſinei patriæ inflixere? fugata receſſit
Theſiphone, doctam jam nullus territat urbem
Anguis, concordes animos pax mutua vincit,
Qualem Saturnus Latio intulit impia nati
Arma ſenex fugiens, ſolioque expulſus avito.
Bentivolo hoc patri, Cives, debetis: ab illo
Parta quies urbi, libertaſque ipſa reducta eſt
Antiquam in ſedem, velata ubi murice & auro
Unanimem ſervat populum nil triſte timentem
Servitium, turpeſve notas, incuſſave flagra.
Quid referam auratis celſas laquearibus ædes?
Turritaſque arces? quid templa immania Divûm?
Porrectaſque vias paſſim? anfractuſque reciſos?
En veluti coluber antiqua Bononia gaudet
Induviis veſtita novis, pulſâque ſenectâ
Attollit lætata humeros, miratur abeſſe
Et fronti rugas, & circum tempora canos.
Sic Æſon veteris repetito flore juventæ
Amiſſas olim vires, robuſtaque membra
Miratur rediiſſe ſibi, vix credulus unquam
Cholchida Theſſalicis tantum potuiſſe venenis.
Hoc ductore favent laribus pia Numina veſtris,

Incolumi

Incolumi hoc ventos, tempeſtateſque minaces,
Atque indignato ſurgentes æquore fluctus
Æquo animo tolerare licet, retinacula puppem
Fida tenent, gremio portus complectitur alnum
Præruptis ſeptus ſcopulis, tutoque receſſu.
Hunc vobis commendo Ducem, prolemque ſecundis
Suſceptam ominibus, nullo ne tempore ſanguis
Bentivolus lætæ patriæ moderetur habenas.
Juſque Tribunitium retinete, decuſque tuendæ
Libertatis, & exiguæ ſubcurrite plebi,
Nec ſinite infirmas pecudes atrocibus uſquam
Eſſe lupis prædam, latè cuſtode ſine ullo
Innocui ſævis errent cum tigribus agni.

HER-

Digitized by Google

HERMICUS CAYADO
RENERIO
JACOBELLO SUO
S.

PUlcherrimam indolem filiorum tuorum, quos ex pudiciſſimâ Eliſâ uxore tuâ ſuſcepiſti, Reneri ſuaviſſime, oſcitantes & quaſi aliud agentes paucis hiſce exametris expreſſimus, facturi rem gratam Tibi: qui pueros alis Te ore referentes, & aliquando moribus, ingenio, facundiâ repræſentaturos. Fabianum præceptorem, quo ductore & auſpice digna Patre jam conantur filii, commendo Tibi, juvenem me hercle Tibi ſummopere addictum, & litteris, & animi pleriſque dotibus præclarum. Vale, & verſiculos ipſos perlege. Ferrariæ, idibus Januarii. MDI.

HER-

HERMICI CAYADO
Ulyſſiponenſis

De Indole quatuor Fratrum.

SILVA III.

ÆTatem teneram Puerorum quatuor ardet
Evehere in Cœlum Pæan, præſagia mentem
Certa movent vatis, quis enim puerilibus annis
Ingenium vehemens non demiretur, & acre
Judicium, fandique modum? cœleſtia credas
Pignora, vel ſaltem Aoniis nutrita ſub antris.
Singula quid memorem? facies pulcherrima gratos
Viſenti reddit, poſſent Delphinas ab alto
In flammas trahere, atque ipſam placare novercam,
Si quam Fata darent, procul, ò procul omina ſunto.
Vivet Eliſa pio longùm conjuncta marito,
Haud Cybele inferior, centum circundata natis,
Omnibus ingenio claris, & ſtirpe parentum:
Qui minimus Martem ſpirat, de fortibus armis
Semper agit, conceptaque bella retractat, & ultrò
Scuta crepat, galeaſque truces, Venetiſque minatur
Excidium, patriæque decus. Sic parvus ad aras
Juravit fatale odium, mox fœdera rupit

Ultor:

Digitized by Google

Ultor, & Auſoniam vexavit Amilcare cretus.
Talis erat Stygio quem lavit in æquore mater
Sollicita, occuluitque diu ſub virginis ore.
Talis & in cunis geminos qui protinus angues
Eliſit ſedato animo, vultuque ſereno
Irreptans, factum Diis admirantibus ipſis.
Jane, tuum nomen celebrant Myconesque, Getæque
Atque Hœmum quicũque colunt, Rhodopenque nivalem,
Scilicet & magni dicunt te Martis alumnum,
Hisque locis genitum gaudent, quibus arduus olim
Præſidet armorum rector, jamque indole in ipſâ
Inclyta geſta vident. Puerum hunc educite in armis,
Auſonii Reges, moneo, jam claſſica diſcat,
Dum puer eſt, ſomnosque leves, durumque laborem,
Et triſtes ſine ſole dies, & frigora, & æſtus,
Obſeſſamque famem, tormentorumque ruinas.
Priſca rudimentis creſcentes talibus annos
Tempora fingebant, vix incunabula natæ
Caſtra dabant ſoboli: eadem nunc ſidera, & iidem
Stellarum & cœli motus, modò cura eadem ſit,
Nec diſpar ſtudium: Mantoum noſtra Gradivum
Sæcla tulere, ducemque illum, Ferraria cujus
Læta colit numen, cujusque à ſtirpe nepotes
Jura dabunt populis, vitreo quos Mincius amne
Alluit, Eridanusque, & parvi flumina Rheni.
Quid loquar Oceani Dominum? quem territus Atlas,
Heſperidumque timent horti jam bella parantem
Horrida, jamque hoſtes quatientem fulmine Mauros.
Affuit enixæ vocitata bis antè parenti
Lucina, utque auras vitalis luminis hauſit
Nicoleos, riſum pro vagitu edidit infans,

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis

De Indole quatuor Fratrum.

SILVA III.

ÆTatem teneram Puerorum quatuor ardet
Evehere in Cœlum Pæan, præſagia mentem
Certa movent vatis, quis enim puerilibus annis
Ingenium vehemens non demiretur, & acre
Judicium, fandique modum? cœleſtia credas
Pignora, vel ſaltem Aoniis nutrita ſub antris.
Singula quid memorem? facies pulcherrima gratos
Viſenti reddit, poſſent Delphinas ab alto
In flammas trahere, atque ipſam placare novercam,
Si quam Fata darent, procul, ò procul omina ſunto.
Vivet Eliſa pio longùm conjuncta marito,
Haud Cybele inferior, centum circundata natis,
Omnibus ingenio claris, & ſtirpe parentum:
Qui minimus Martem ſpirat, de fortibus armis
Semper agit, conceptaque bella retractat, & ultrò
Scuta crepat, galeaſque truces, Venetiſque minatur
Excidium, patriæque decus. Sic parvus ad aras
Juravit fatale odium, mox fœdera rupit

Ultor:

Digitized by Google

Ultor, & Auſoniam vexavit Amilcare cretus.
Talis erat Stygio quem lavit in æquore mater
Sollicita, occuluitque diu ſub virginis ore.
Talis & in cunis geminos qui protinus angues
Eliſit ſedato animo, vultuque ſereno
Irreptans, factum Diis admirantibus ipſis.
Jane, tuum nomen celebrant Myconesque, Getæque
Atque Hœmum quicũque colunt, Rhodopenque nivalem,
Scilicet & magni dicunt te Martis alumnum,
Hisque locis genitum gaudent, quibus arduus olim
Præſidet armorum rector, jamque indole in ipſâ
Inclyta geſta vident. Puerum hunc educite in armis,
Auſonii Reges, moneo, jam claſſica diſcat,
Dum puer eſt, ſomnosque leves, durumque laborem,
Et triſtes ſine ſole dies, & frigora, & æſtus,
Obſeſſamque famem, tormentorumque ruinas.
Priſca rudimentis creſcentes talibus annos
Tempora fingebant, vix incunabula natæ
Caſtra dabant ſoboli: eadem nunc ſidera, & iidem
Stellarum & cœli motus, modò cura eadem ſit,
Nec diſpar ſtudium: Mantoum noſtra Gradivum
Sæcla tulere, ducemque illum, Ferraria cujus
Læta colit numen, cujusque à ſtirpe nepotes
Jura dabunt populis, vitreo quos Mincius amne
Alluit, Eridanusque, & parvi flumina Rheni.
Quid loquar Oceani Dominum? quem territus Atlas,
Heſperidumque timent horti jam bella parantem
Horrida, jamque hoſtes quatientem fulmine Mauros.
Affuit enixæ vocitata bis antè parenti
Lucina, utque auras vitalis luminis hauſit
Nicoleos, riſum pro vagitu edidit infans,

Diſſimilis fratri frater, nam pacis alumnus
Tutatorque otî patrii, placidæque quietis,
(Afflato ſi vera datur prædicere vati)
Belligerum doctâ damnabit Pallade Martem.
Macte animi virtute Puer, ſanctâque piorum
Relligione, fideque bonâ, famàque parentum,
In puero agnoſcas virtutis certa futuræ
Signa, putes ipſum coram ſpectare Catonem
Prætextâ indutum Tyriâ, quo tempore ſævum
Felicemque ſibi Syllam obtruncare parabat,
Libertatem auſus ſervi inſtaurare Senatûs;
Aut qualem obſtupuit conſtanti mente Latinus
Princeps, propoſiti magni, cœptique tenacem.
Proximus à primo cecidit de matre Philippus,
Albaque duxerunt fatales fila Sorores,
Et volucres placidos fudere per aera cantus,
Demiſſum æthereo dum guſtant nectar olympo.
Ipſa parens rerum vultum natura decorum
Induit, & laudavit opus, quod ſedula fecit.
Sic ſua laurigeri commendant carmina vates,
Applauduntque ſibi; ſic pictor imagine captus,
Vivere quam credas, dextramque extollit, & artem:
Uſque adeo quod quiſque facit, miratur, amatque.
Pierides lætas choreas duxere puellæ
Vertice Parnaſſi ſummo, nec defuit illis
Conſpicuus citharâ, pharetràque inſignis Apollo.
Hunc aliud ſtudium trahet, & diverſa voluptas;
Nam neque rem populi tractare, neque arma juvabit,
Carmina Phœbeo modulabitur aurea plectro,
Seu volet heroum laudes, & ſacra Deorum
Dicere, ſeu magno paſſim fulgentia mundo

Sidera-

Sideraque, luciſque vices, noctemque ſoporam
Threiciis fidibus canere, & teſtudine aduncâ,
Cadmæam qualis muro circumdedit urbem.
Deprendit nuper Puerum inter ſaxa, feraſque
Calliopea, Linum rata, feſtinare videres
Ad Juvenem Divam vocis dulcedine captam:
Non Linus ille, Philippus erat, gaviſaque falli
Obſtupuit decepta Dea, amplexataque vatem eſt
Arctiùs, & roſeis fixit mox oſcula labris,
Atque apio dignos ornavit Apolline crines,
Et calamos dedit, Alcidæ quibus ardua quondam
Geſta Ducis magni memoret, memoretque nepotes
Præſcius, & dulci tollat ſuper æthera cantu.
Extremâ ſupereſt Seraphinus laude canendus,
Egregiâ virtute Puer, quo ſoſpite vivent
Felices pater, & mater, ſiquidem omnis in illo
Spes ſita, primus avi donabit nomine patrem,
Idem qui patris donavit nomine primus.
Orabit cauſas, genitorem imitabitur ipſum
Omnibus in rebus: quo non præſtantior alter
Eloquio, pietate, fide, veſtigia cujus
Sectatus diſcet leges, ſacrataque jura
Pontificum, ut patriæ doctus moderetur habenas,
Alcidæ ſi quando geret gemmantia ſceptra.
Vix poſitum in cunis circum muſſare videres
Nectar apes ori inſtillantes, territa nutrix
Prodigium matri, mox patri nunciat, ollis
Ingens lætitia exoritur, lachrimæque per ora
Torrentis de more fluunt, tenduntque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus, utque omina firment
Suppliciter Superos orant, puerumque reviſunt

Ore

Ore renidentem pulchro, & jam pene loquentem.
Vivite grata Deis proles, Seraphine, Philippe,
Nicoleos, Jane, atque ævum diffundite in omne
Indole, & insigni clari pietate parentis
Laudatum nomen, numeris quod sæcula nostris
Ultima adoratum discent, quàque alluit Indos
Ganges, quàque Tagus nitido fluit aureus alveo.

SILVARUM FINIS.

HER-

Digitized by Google

HERMICI CAYADO
ULYSSIPONENSIS
EPIGRAMMATUM
LIBER I.

Ad Librum.

EPIGRAMMA I.

DIXI sæpius, ò Libelle, tutum
Ne limen properes parentis extra
Prodire: haud temerè tibi vagandum est.
Ronchis excipieris, & cachinnis
Vulgi, tam citò si cupis vagari.
Sed jam lima tibi, & litura sordet,
Offendi brevibus notis recusas,
Atque intacta magis placet tabella,
Et tantùm cute vis decorus ire.
Nescis quid facias, miselle, nescis,
Dum plausus stolidâ aucuparis aure,
Squalloremque fugis, situmque nidi:
Quos risus populo movebis? & quæ
Vulgo sibila? quot manus asselli
Fingent auriculas? ciconiæque
Rostrum? quot sitient canes? quot hinc &

Illinc

Illinc murmura? quàm frequens ſuſurrus?
Cogeris tenebras ſequi, truceſque
Blattas pulvere ſordidus fovere.
Nequicquam moneo, Liber, recedis:
Cum ſurdis loquimur: mane, ò Libelle,
Vel ſi pergere vis, nec hîc morari,
Saltem dum aſparagi leves coquantur,
Poſtremum hoc memori reconde mente
Noſtrum conſilium: Patronus eſto
Teſſira ille meus, decuſque, honorque, &
Spes, & præſidium unicum ſuorum:
Quo nil ſplendidius, nitentiuſve
Luſitania noſtra procreavit,
Qui primus patriam loqui latinè,
Et noſtrum genus eſſe de Latinis
Monſtravit lepidâ locutione,
Qui noſtras bene callet, & Pelaſgas
Muſas, juraque Cæſarum revolvit
Bis, ter, vindice quo nihil timebis:
I nunc, tutior ibis, ò Libelle.

Ad Cupidinem.

EPIGRAMMA II.

IN varias Superi ſe mutavere figuras,
Terrigenûm premeret cùm furor & Superos.
Scire, Cupido, velim, qua tu ſub imagine tectus
Fugeris hoſtiles inſidioſe manus?

Poſſedi

Poſſedi ſemper pharetramque, arcumque ſonantem:
Imperium in noſtrum non locus invidiæ eſt:
Regna Jovis potuere feri affectare Gygantes,
Non mea, qui magno vel Jove maior eram.

Ad Emmanuelem Regem.

EPIGRAMMA

III.

HEſperiæ, Rex magne, decus, quo præſide virtus
E cœlo in terras conciliata venit.
Maiorum ſuperas clariſſima facta tuorum:
Aurea te redeunt principe ſæcla iterum.
Nigros uſque tuum nomen penetravit ad Indos:
Vela tua Oceanus fertque, refertque Pater.
Extremique tuis parent confinia mundi
Legibus, es Regum maximus, Emmanuel.

Ad Petrum Ægitanienſem Pontificem.

EPIGRAMMA

IV.

INgenium, pietas, gravitas, facundia, juſtum
Sunt animi dotes, inclyte Petre, tui.
Hæc bona tempus edit numquam, nec Mulciber urit:
Fortunæ pendent cætera ab arbitrio.

Felix

Felix, ò Princeps, felix ter & amplius ille,
Qui te conſiliis admovet uſque ſuis!
Hinc tot Palladiâ populi ſub pace recumbunt,
Et creſcunt Regis ſceptra beata mei.
Quàm bene cœleſtis tibi ſeſe crederet aula,
Quàm bene pro Chriſto jura verenda dares!
Certa movent vatem præſagia, cerno rubere
Murice Sidonio tempora ſacra tibi.
Quid quòd conſpicuus triplici diademate fulges?
Sic erit, & faciet omen Apollo ratum.

Ad Nonium Cayadum

EPIGRAMMA

V.

DIſcere me cogis, Noni, civilia jura,
Et donare jubes jam mea plectra rude.
Dulcia quis trucibus permutat carmina rixis?
Quis præfert noſtris jurgia rauca jocis?
Sunt leges lachrymæ, queſtus, perjuria, lites,
Invetitumque nefas, implicitique doli.
Quis ſordes æquis oculis ſpectare reorum,
Quis fletus duro pectore ferre poteſt?
Men nugas audire fori mendacia? vanis
Men præbere aures cauſidicis faciles?
Ut juvat hiſtorias veterum monumenta virorum
Perlegere, & mores inſpicere inde hominum.
Quid referam arcanâ ſenſus in nube latentes?
Quid referam obſtruſis myſtica ſacra modis?

Adde

Adde & convexi clariſſima lumina mundi,
Et rerum cauſas, notitiamque Deûm.
Hæc ego, Pactolum ſi quis mihi tradat, & Hermum,
Non vendam; eſt cunctis vitaque, morſque eadem.
Quòd ſi divitiis opus eſt, fulvoque metallo,
Eſſe inopes Muſas non patiere mihi.
Tecta ducum ſubeant alii, procerumque penates:
Tu mihi pro cunctis Regibus eſſe potes.

Ex Græco Sententia.

EPIGRAMMA VI.

PRælia Cervorum pluris ductore Leone,
Quàm Leo quæ Cervo ſub duce bella gerit.

Ad Rectorem Bononienſem.

EPIGRAMMA VII.

QUantus honos fuerit tibi, quantaque gloria, Rector,
Et quantis te omnes laudibus extulerint;
Hinc noviſſe potes, nemo non lætus abivit,
Nemo non fartus, nemoque non titubans.
Cantavere omnes Bacchum, Baccheaque ſacra:
Bentivolus Galeax ebrius ipſe fuit:
Ipſe loquebar ego centum tum denique linguis,
Et cecini ſubito carmina mille pede.

Ad Albertum Taſſinum.

EPIGRAMMA VIII.

EXiguis validam committere fluctibus alnum,
Securique times ſidera certa poli.
Eſt, Taſſine, ratis tua, quam nec ſævus Orion,
Nec turbent Hyades, nec pluviale Pecus.
Quòd ſi fortè maris violentior ingruat ira,
Et tremat inſanas navita triſtis aquas,
Ipſe Elice quaſſæ fueris, cynoſuraque puppi,
Illa tuo tutum numine carpet iter.
Verſatur variis dudum mea cymba procellis:
Velaque quî ſolitus non mea ventus agit.
Tende mihi reſtim, tua per veſtigia portum
Nactus in optato littore deſes ero.

Ad Rectorem Bononienſem.

EPIGRAMMA IX.

SIc ut devictis ſpectabat Roma triumphum
Hoſtibus, & vinctas poſt ſua terga manus:
Fervet multivago nunc docta Bononia cœtu,
Et vicos gaudet fronde virere novâ.

Jane

Jane, tuum decus hoc, Rector: jam plausibus æquant
Cæsaribus nomen, Cœlicolisque tuum.
Finis ut est anni Janus, ut Janus origo est,
Hujus principium, & finis honoris eris.

Ad Petrum Antonium Aziarolum.

EPIGRAMMA

X.

QUid tibi cum chartis? potior cum casside thorax:
Mars latè regnat, pulsa Thalia fugit.
Bellicus insurgit squallenti pectore Serpens,
Adryacusque parat bella cruenta Leo,
Cristatusque venit diris occentibus ales
Implens Ausoniam, Dardaniosque lares.
Euganeis etiam minitatur roscida Luna,
Efferat illa suos sanguinolenta globos.
Pro lauro cornus, placeat pro palmite quercus,
Concedant lituis tympana, plectra tubis.
Castaliam segnes adeant, & inertia corda,
Nunc bibere in medio Strymone tempus aquam.
Temporibus servire decet: nunc explicat euris
Undique, nunc solers carbasa nauta legit.
Nunc duro validus terram proscindit arator
Vomere, nunc segetem falce secare juvat.
Eia age, Petre, cape arma manu, galeamque comantem
Indue, nostra etiam Pallas in arma ruit.

Digitized by Google

Ad Lucam Ripam

EPIGRAMMA

XI.

JUsta petis puero egregio, inferiaſque ſepulto,
Et cineri lachrymas, & pia thura rogis.
Officium hoc eſt, Ripa, tuum: nam te duce ſancta
Limina virtutis ſcandere ſuetus erat.
Auſpice te ingenium coluit, moreſque probatos,
Tu titulis igitur marmora ſculpe ſuis.
Nec te mœrori eſt æquum, aut ſubcumbere luctu:
Turpe viro adverſis terga ſubacta dare.
Ille Padi ſolitus Veneti tranſcurrere ripam:
Eridani ad ripam nunc natat Elyſii.

Ad Albertum Taſſinum

EPIGRAMMA

XII.

INtermiſſa redi, Taſſine, ad munera vatum,
Aoniamque juvet ſollicitare chelym.
Tempore mutandi mores, mutandaque vita:
Vivendum eſt ſolo temporis arbitrio.
In ſilvis fuimus, dederunt ſilvæ otia nobis,
Otia, Caſtalidum qualia turba cupit.

Carpſi-

Digitized by Google

Carpſimus autumno dulces frondente racemos,
Legimus & cupidâ mitia poma manu.
Hybernæ ſuadent chartis palleſcere noctes,
Et vigil in mediâ nocte lucerna vocat.
Eia age, purgato foveamus pectore Muſas:
Ejice torporem, deſidiamque foras.
Rus imitare, vides ut culta feracia ſurgunt,
Ut ſterile incultum eſt, & ſine fruge ſolum?

Ex Græca Hiſtoria

EPIGRAMMA XIII.

MArs erat ad muros urbis, quò fœmina miſit
Bellatum ventris pignora quinque ſui:
Eventum pugnæ deſiderat, ecce roganti
Quidam ait, extinctos morte jacere ſuos.
Ad quem: Non hoc, non hoc, ignaviſſime, quæro,
Sed quo ſumma loco ſit ſita res patriæ?
Eſt patriæ victoria, ait: lætatur, & inquit:
Non doleo, natos ſic cecidiſſe meos.

Ad Fanum Lucam

EPIGRAMMA XIV.

QUod mitto, noli metiri munus: at ipſum
Quo mitto, introrſum perſpice, Jane, animum.
Nam meritis ut digna tuis quis munera mittat,
Divitias Crœſi mittet, & ille Mydæ.

Ad Peſtinum

EPIGRAMMA XV.

MIlitiâ & Muſis ætas gaudebat avorum,
Cumque bonis agros artibus excoluit:
Tempora noſtra Venus, Bacchus, luduſque gubernant,
Et quidquid morum deteriora parit.
Hinc, Peſtine, liquet, quàm ſit laudanda vetuſtas:
Nos nati (miſera ò ſæcula!) fæce hominum.

Ad

Digitized by Google

Ad Laurentium Monizium.

EPIGRAMMA XVI.

NUntius aeriis Rhombum cecidiſſe ſagittis
Dixerat, ingratus nuntius ille mihi.
Præceptoris enim noſtræ præpono ſalutem,
Cujus ab ingenio carmina noſtra fluunt.
Quidquid doctrinæ, quidquid mihi contigit artis,
Ille dedit princeps, grammaticûmque decus.
Vivere, Laurenti, docuit tua littera Rhombum,
Littera Caſtalii tincta liquore lacûs.
Ne ſtoreos Rhombo concedat Jupiter annos,
Tithoni vivat Rhombus & ipſe dies,
Et tibi, lætitiam tantam qui fortè tuliſti,
Contingat longæ poſteritatis honos.

Ad Jacobum Souſam.

EPIGRAMMA XVII.

VUlgi per ſtrepitum ſtudiis incumbere nemo
Urbe poteſt, ruri promptius ingenium eſt.
Hunc morem antiquos quondam ſervaſſe poetas
Legimus, hunc morem ſervo, Jacobe, etiam.

Tempo-

Temporibus noſtris præſertim, regnat enim Mars:
Et Pallas tegitur caſſide ſæva comas.
Carmina nulla placent: ſunt curæ civibus arma:
Sanguinolenta volant arma per ora virûm.
Hinc ego materiam ſumpſi, cauſamque canendi
Nactus, paſtorum verba notanda dedi.
Excipe quæ mitto noſtri monumenta laboris,
Ne ſomno videar præteriiſſe dies.

Ad Bartholomæum Barbatiam.

EPIGRAMMA XVIII.

VIx bene cenſerer ſanæ, Barbatia, mentis,
Anticyræ & merito dignus haberer ope.
Si nunc ignotas externo carmine gentes
Alloquerer, tempus cum ſibi cuncta velint.
Adde quod obtuſos verſus incude putabunt
Non noſtrâ, tantùm lingua maligna poteſt!

Ad Petrum Antonium Aziarolum.

EPIGRAMMA XIX.

SI potes, accedas veterem viſurus amicum:
Sin minus id poteris, at meminiſſe velis.
Sed poteris per mille dolos huc, Petre, venire,
Nam facile eſt nimiùm, te dare verba ſeni.

Al

Digitized by Google

Ad Eberacum.

EPIGRAMMA XX.

EBerace, tuas advenit Lantonus ædes
Hoſpes, cui patria eſt terra Britanna ferax.
Ille puellares choreas, ludosque reliquit
Felſineos, dominæ motus amore nihil.
Calcavitque lutum pedibus, ſuperavit & undas
Eridani haud tuto vectus in alveolo:
Viſeret ut charum tantum eſt perpeſſus amicum,
Perferet ut placeat vel graviora tibi.

In Leguleium.

EPIGRAMMA XXI.

TAm malè percipies ſemper civilia jura,
Quod nos laſſavit, quàm malè noſcis iter.
Qualeque conſilium nobis, indocte, dediſti,
Tale clientelis, improbe, ſæpe dabis.

Digitized by Google

Ad Petrum Nicoleum.

EPIGRAMMA XXII.

QUem non fallit amor? plus æquo jactat amicum
Unuſquiſque ſuum: non bene cenſet amor.
Si quis amat turpem, gaudet præferre Neæræ:
Non eſt, Petre, novum munus amicitiæ.
Non ego digna meo potui dixiſſe Philippo:
Nil eſt quod dignum laude, Caballe, putes.
Sum raucus: ſine honore cano; ſed rumpimus auras,
Qualis in Arcadia rudit aſellus iners.
Sed tu vel dignas effundis Apolline voces:
Sed te Muſarum gloria prima manet.
Romanam pergas linguam fulcire cadentem:
Eſto Faventinis ſpeſque, decusque tuis.

Ad Benedictum Barbatiam.

EPIGRAMMA XXIII.

ATtalus immenſas & opes congeſſit, & aurum,
Atque auri Crœſo magnus acervus erat.
Effecitque Mydas quidquid palpaverat aurum,
Nil aurum præter menſa, cibusque fuit

At

At mihi candentis fuerat vix una metalli
Uncia, quam rapuit neſcia lingua mihi.
Cauſidicis quantò melior ſua lingua videtur,
Quæ facit, ut Reges divitiis ſuperent.
Devoveo lites: nil audeo dicere contra:
Heu certare tibi jam, Benedicte, vetor.
Redde, precor, nummos, vacui miſerere poetæ:
Si nummos aufers, carmina diſpereunt.

Ad Phœbum Monizium.

EPIGRAMMA XXIV.

QUando tuos mores comtemplor Apolline dignos,
Et faciem, veros quæ decet uſque Deos:
An ſis, quem peperit Delo Latona vaganti,
Cùm ventris Serpens perſequeretur onus,
Hæreo, ſed faciunt pietas, facundia, vultus
Candidus, & facies inſidioſa fidem.
Nimirum formâ ſi præſtes, Phœbe, Diones
Munus habes: genuit te ſua namque Cypros.

Ad Marcellum Virgilium.

EPIGRAMMA XXV.

OFficio vatum, meritò præfecte, priorum,
Quos bona posteritas vivere morte facit.
Sic tibi Calliope faveat, plectrumque, lyramque
Præbeat, & faciles dictet Apollo modos:
Aspice quot juvenes veniant, quàm pulchra juventus,
Quorum ne fallas vota probanda, rogo.
Lectio prima placet docto monstrata magistro:
Altera nil uni lecta placere potest.
Est res alta quidem juvenum non indiga curæ:
Res eget ingenio tam pretiosa tuo.
Hanc muta, cuncti veniemus: dummodò nobis
Fortia quæ gessit bella Jugurtha, legas.
Sic, Marcelle, tuo fungeris munere, nosque
Junxeris obsequiis tempus in omne tuis.

Ad Angelum Politianum.

EPIGRAMMA XXVI.

DUm Sol Oceanum curru properante revisit:
Et vehitur fessis præcipitatus equis,
Mœnia quæ posuit sublimia magnus Ulysses,
Atriferi & ripas conspicit ipse Tagi,

Unde

Unde huc conceſſi Muſarum captus amore,
Huc ubi Parnaſſi Numina cuncta vigent.
Præmia militiæ vel maxima conſequar olim,
Auſpiciis ductus, Politiane, tuis.

Epitaphium Pyrami, & Thisbes.

EPIGRAMMA XXVII.

ENſe cadit Thisbe, cecidit quo Pyramus: enſis
Infelix animas perdidit ille duas.
Error utrique necis mœſtiſſima cauſa leæna,
Erroris cauſam ſanguinolenta dedit.
Prima mali labes amor improbus, unicus autor,
Excidii tanti præcipuuſque fuit.
Denique ſub gelido concluſus uterque ſepulchro
Gaudet, & inferias hoc ſibi mortis habent.

Epitaphium Camilli Vitelli.

EPIGRAMMA XXVIII.

QUiſquis ad has partes veniſti fortè, viator,
Siſte pedem, & ſaxis carmina ſculpta lege.
Hîc jacet (heu paſſus crudelia fata) Camillus,
Armipotens hoſti terror ubique ſuo.

Belli

Belli fulmen erat, pallorque Vitellus in armis:
Obfuit huic tantùm maxima vis animi.
Lux patriæ, generiſque decus, ſpes una ſuorum
E medio vitæ tramite raptus obit.
Terra cadaver habet, virtutis tempore in omni
Nomen erit, cœli ſpiritus alta petit.

Aliud Epitaphium.

EPIGRAMMA XXIX.

HEus tu, qui magnâ luſtras teſtudine templum,
Aſpice, quas ſervant ſaxa propinqua notas.
Nox dederat cunctis animantibus alta quietem,
Foverat & ſomni languida membra vice.
Pervigil unus eras, conjux crudelis, ut uno
Enſe duas animas perderet una manus.
Ventris onus cecidit miſeræ cum corpore matris:
Debueras nato parcere, dure pater.
Heu quid commeruit maternâ clauſus in alvo
Infans, ut fuerit ſic jugulanda parens?
Crimine fama vacat, mentem verſavit Erynnis:
Hæc eadem mortis ſit tibi cauſa, precor.
Quid tam ſollicitos effundis, adultera, queſtus?
Effera quin rabie comprimit ora pudor?
Lædere jura tori nobis impune putaras?
Exegit pœnas Juno, rogavit Hymen.

Et

Et bene natus obit; vetito nam patre creatus
Augeret matris dedecus uſque ſuæ.
Ergo jace, & tacitas peragra myrteta per umbras:
Ediſcatque fidem fallere nupta viro.

Ad Jacobum Paquequum.

EPIGRAMMA XXX.

POſcis aquas, Jacobe, urunt me incendia: nempe
Compeſcunt noſtram flumina nulla ſitim.
In me durus amor ſævit, qui tela fatebar
Momenti imprudens nullius eſſe ſua.
Hei mihi caſtus eram, doctus, puruſque ſacerdos
Pallada ſectabar, virgineoſque choros.
Tunc citharam, plectrumque dabat quo plurima Phœbus
Carmina cantarem, carmina digna Deo.
Tunc grandi Regum mihi geſta ſuperba cothurno
Æthera poſſe ſuper tollere viſus eram.
Sed poſtquam ſperni ſenſit ſua tela Cupido,
Succendit tenui viſcera noſtra face.
Creſcunt (heu pereo) ſubjecto ſtipite flammæ,
Ignibus Oceani non ſatis unda meis.
Fruſtra poſcis aquas, urunt me incendia: ſed tu
Affer opem, medicâ ſi quid in arte potes.

Ad

Ad Baptiſtam Sarracum.

EPIGRAMMA XXXI.

VIcturum omne mihi promittis nomen in ævum,
Baptiſta, verſu candido:
Optas præterea, ut veniat Lacheſis pede claudo
Sectura vitæ ſtamina.
Euge age, utrumque ratum eſt, mihi quod promittis:
& optas,
Sed diſpari forſan modo.
Suffenus dicar, aut ſi quid ineptius uſquam eſt,
Paratum eſt jam nomen mihi.
Quotidie morior, ſic longo tempore vivam,
Felicis eſt mori ſemel.

Secum

EPIGRAMMA XXXII.

PErſonatus eram modò, nunc ſum carminis autor:
Cum vultu mentem tam citò depoſui.
Vulgi riſus eram, Aonidum pars una Sororum,
Nunc perago facili carmina multa pede.
Humanas moveant mentes miracula: mimus
Qui fueram, vates ecce notanda cano.

Hoc

Hoc ne parum credis? fallit ſententia: quantum eſt?
Eſt multum: quantum? perlege, dicet opus.
Falleris: inſani eſt ex tempore promere verſus:
Inſani eſt? Naſo quid fuit ergo? levis?
Abſit: Naſoni fuerat ſacer impetus: ergo
Non idem poterit impetus eſſe mihi?

Ad Fanum Conovicium

EPIGRAMMA XXXIII.

SI qua movent vatem divinæ ſemina mentis:
Si vati cuiquam ſcire futura datur:
Exemplar morum fies, Jane, unica gentis
Fama tuæ, patriæ gloria, laus, columen.
Namque per aereas Alpes, per frigora denſa
Veniſti Aonidum vectus ad antra puer.
Deliciis patriæ teneris privatus in annis
Imperio dignum te facis eſſe patris.
Sunt qui divitias cupiant, regnareque tantùm:
Aurato & tantùm vellere terga nitent.

Ad Bartholomæum Blanchinum.

EPIGRAMMA XXXIV.

QUando mihi dabitur Scornetæ dulcia rura
Viſere? & umbroſis poſſe jacere locis?
Cumque tuo ſubitò componere carmina vate,
Blanchine, agricolis carmina grata Deis?
Otia magna dabit ſeceſſus vatibus ille,
Qualia Lunai non ſinus ipſe dabit.
Ruſtica te quantum delectet vita, quieſque,
Indicio tua ſint quæ colit arva manus.
Sunt & in urbe tibi cœlum tangentia tecta,
Et cum divitiis eſt tibi gentis honos.
Non tamen agricolæ ſpernis prædura ſubire
Munera, Saturnus quæ Latium docuit.
Æthereos curſus, convexi ſidera cœli,
Et quo terra modo ſit ſita, noſſe labor.
Integritas vitæ, pulchræ præſtantia formæ,
Ætatis candor, nobilitas generis
Te mihi conciliant, faciuntque, ut nil magis optem,
Omnibus in rebus quàm placuiſſe tibi.

Digitized by Google

Ad Emmanuelem Regem.

EPIGRAMMA XXXV.

CArmina Paſtorum, Silvas, Epigrammata mitto
Huic, illi: in chartis nomina multa meis.
Aſt opus hoc totum, mentemque, animumque dicamus,
Rex, tibi, cui ſoli ſupplicat iſte liber.
Sunt iſtic proceres multi, ſunt plurima regna:
Te tamen & proceres, ipſaque regna colunt.

Ad Ludovicum Mellum Luſitanum.

EPIGRAMMA XXXVI.

INdiderunt, Ludovice, tuæ cognomina Genti
Attica nectareis mella refuſa favis.
Hinc tibi mellifluis reſonant tot carmina labris,
Et natat Hyblæo ſemper in ore melos.
Hinc & dulce tibi ingenium eſt, atque illita quondam
Aereo fragrant pectora rore tibi.
Cæſaries redimita thymo, redimitaque amello
Et Phœbi, & Bacchi vincit honore comas.
Ornetur lauro quamvis ille, ille corymbis,
Cæteraque ambobus maior es ipſe Deis.

Ad

Ad Bartholomæum Portam Parmenſem.

EPIGRAMMA XXXVII.

PORta, cupis ſacri fontis libare liquorem,
Et caſtâ caſtas cingere fronde comas;
Sed longi tractu Montis conterritus hæres,
Nec ſuperare audes ardua ſaxa loci.
Sic nec ſpem ponis dubius, nec certus eundi es,
Fluctuat in medio ſic vaga cymba mari.
Interea tacitis obrepunt greſſibus anni,
Et morbos affert curva ſenecta ſuos.
Eia age, ne dubita, veniam comes, ingredere, inquam,
Ingredere, ò mihi me charior, ingredere.
En tibi ſubſidunt colles, de rupe Thalia
Te vocat, ipſe tibi dicit Apollo, veni.

Ad Martinum Figueretum Luſitanum.

EPIGRAMMA XXXVIII.

CUm laudes omnes, cùm nullum denique carpas:
Abs te laudari nec volo, nec cupio.
Confundis, Martine, omnes, nec ſeligis ullum:
Atque bono, atque malo eſt una, eademque nota.

Non

Non hæc judicii culpa eſt, nec falleris unquam,
Præterea libras omnia lance pari.
Si prodeſſe Numæ poſſes, ſi plectere Nactam,
Pro meritis ſtarent præmia cuique ſuis.
Perge age, commenda pro tempore ſcilicet omnes:
Hac jam laudari conditione volo.

Ad Lucam Ripam.

EPIGRAMMA

XXXIX.

DAs operi lucem, Luca nitidiſſime, noſtro,
Et potis es noctem pellere ſole tuo.
Naturam arte tuâ ſupero, ceu Dædalus alas
Das mihi, queis volitem docta per ora virum.

Ad Andream Magnanimum.

EPIGRAMMA

XL.

QUalis erat raptâ ſerpentis conjuge morſu
Orpheus Threiciæ clarus honore lyræ:
Talis nuper eras Alphei ſub imagine, quando
Nympham ſubripuit improbus ille Gygas.
Sed nunquam citharam fregit dolor: ille canoris
Euridicen fidibus manibus eripuit.

Aſt

Aſt tibi barbariem cantu nil poſſe moveri
Dum credis, dulcem perculit ira chelym.
Magnanime, invicto ceſſiſti victus Amori:
Nimirum, ſuperos ille, Jovemque domat.

Ad Conſtantium Piſtorienſem.

EPIGRAMMA

XLI.

PUlchrior Hyppolito, Phœbo formoſior ipſo,
Conſtanti, quovis judice ſolus eras.
Aſſiduo formam decorabat pectine compta
Cæſaries auri ſparſa nitore tibi.
Integra conſpicuum reddebat in omnibus ætas:
Adde probos mores, adde pudicitiam.
Quòque magis juvenem mirabar, fertile quondam
Ingenium fuerat, fertile carminibus.
Nunc pallor, macies, mœror, ſuſpiria, queſtus,
Singultus, lachrymæ, ſollicitudo, dolor,
Deformem reddunt, mœſtum, loca ſola petentem,
Calliopenque tuo pectore dejiciunt.
Rivalem perdant Superi, dominumque ſuperbum
Concilient, voti ut compos abire queas

Digitized by Google

Ad Marchioniſſam Mantuæ.

EPIGRAMMA XLII.

Pierii Regina laris, quam ſanctus adorat
Mincius, Aonias inter habendus aquas,
Inclyta progenies, Alcidæ gloria patris,
Altera non qualem finxit Eliſa Maro,
Adſis ò noſtris numen venerabile muſis,
Gaudeat inque tuo noſtra carina ſinu,
Dum modò tu faveas, fruſtra terrebit Orion,
Sis Elice noſtræ, ſis cynoſura rati.
Carminibus ventos pariter mulcebis, & undas:
Te cantante, cadet protinus ira maris.
Nempe pudicitiâ ut ſuperas, ſic carmine Sappho,
Hinc multum laudis, laudis at inde minus.
Tu faceres cygnum, taurum, ſatyrumque Tonantem:
Juno eſſet cauſâ duplice iniqua tibi;
Et quia magnanimo clarum genus Hercule ducis,
Et quia te vellet Juppiter eſſe ſuam.
Sed prohibet ſincera fides ſervata marito,
Nec patitur Superûm fraudibus eſſe locum.
Hoc vivas felix multos in honore per annos,
Æternumque micet ſidus in orbe tuum.

Digitized by Google

Ad Gabrielem Taſſinum.

EPIGRAMMA XLIII.

SI Getico, Taſſine, ſinis me frigore aduri,
Naſo ero: ſi dederis ligna, Tibullus ero.
Quæris uter malim eſſe? æſtivo tempore Naſo:
Nunc, quia bruma riget, terſe Tibulle, places.

Ad Petrum Antonium Aziarolum.

EPIGRAMMA XLIV.

EXcitor, atque premor ſpe, ſpes me fertque, refertque,
Scilicet ut refugus volvitur Oceanus.
Petre, licet ſperare tamen, quò longior illa eſt,
Gaudia eò venient uberiora mihi.
Numina (quod ſupereſt) jugi prece ſancta fatiga;
Ut properet præceps in mea vota Tryphon.

Digitized by Google

Ad Eundem.

EPIGRAMMA XLV.

CArmina, Petre, vocant Medeæ toxica, Circe
Quidquid ab Hæmoniis carpare ſueta jugis,
Carminibus vox apta ſuis, qua tartara pallent,
Qua mare, qua Cœlum, & maxima terra tremit.
Dum loquitur grunnire ſues, plorare cicadas,
Theſſalicàque putes æra crepare manu.

Ad Ludovicum Paſſetum.

EPIGRAMMA XLVI.

QUod poſcis, Ludovice, darem, ſed jura, fideſque
Obſequio prohibent me dare vela tuo.
Quod poſſim præſtare roga, Ludovice, negantem
Juppiter in ſtygias fulmine trudat aquas.
Tu legum interpres, tu propugnator honeſti,
Noli, quam dederim, ſollicitare fidem.

Digitized by Google

Ad Lucam Ripam.

EPIGRAMMA XLVII.

PErcurri ſilvas variumque, & amabile carmen:
Sed monſtrante tuâ lampade noctis iter.
Sic quoque Thebanas liceat cognoſcere pugnas
Auſpiciis freto, candide Ripa, tuis.

Ad Ruffinum.

EPIGRAMMA XLVIII.

SI, Ruffine, cupis lepidus, ſalſuſque videri,
Eſto, habitâ famæ ſed ratione tuæ.

Epitaphium Angeli Politiani.

EPIGRAMMA XLIX.

POlitianus in hoc tumulo eſt, vivitque ſepultus,
Hoc facit ingenium, facit & facundia triplex
Dicere ſeu voluit, ſeu rerum exquirere cauſas.

De

De Paulo Silovitio.

EPIGRAMMA L.

CUr Pauli dubitas nomen, mea muſa, per orbem
Ferre? verecundus deſerat ora pudor.
Eſt Paulo noſtro gravitas, ſapientia, virtus:
Eſt veſtri magnus cultor & ipſe chori.
Quorſum maiores fecere poemata noſtri?
Scilicet ut virtus præmia magna ferat.
Ut contra vitium nigro carbone notetur:
Quæ duo poſteritas tempus in omne canit.
Cur igitur Paulum jubeas ſine laude jacere?
Non eſt verſiculis dignus & ille meis?
Idcirco tenebris Paulum arbitrare ſepultum,
Inque ſitu laudes illius eſſe putas:
Egregium quoniam nondum tua pagina nomen
Præſcripſit, Veneris nubere digna viro?
Ah quantò melior laudator contigit illi,
Laudator, quo non maior in orbe viget.
Jam Paulus volitat Latiis notiſſimus oris:
Jam Pauli cuncti nomen ad aſtra ferunt.

Digitized by Google

Ad Petrum Antonium Aziarolum.

EPIGRAMMA LI.

MÆcenas Flaccum fulſit, fulſitque Maronem:
Ingenium inde viris, inde Thalia fuit.
Sed vixere ſibi clari, doctique poetæ,
Illorum auxilio nemo poeta fuit.
Multa dedit tibi Mæcenas, mihi multa dediſti:
Quo tu fonte bibis, hoc ego fonte bibo.
Menſa eadem nobis, eadem ſunt munera nobis:
Idem animus nobis, Petre, & idem ſtudium.
Quidquid habes, habeo, fortunaque utor eâdem:
Mæcenas ergo tu meus; ille tuus.

De Luca Ripa.

EPIGRAMMA LII.

IN ripâ virides Nymphæ ſiccare capillos,
Et cantare ſolent carmina Nereides.
In ripâ nitidæ committit membra paleſtræ,
Suetus & in ripâ ludere pulcher Hylas.
In ripâ cernas humentia gramina paſſim,
Blandior in ripâ ſerpere, ſomne, ſoles.
Ad Ripam pueri, juveneſque, ſeneſque venite:
Pieridum vobis otia Ripa dabit.

In

In Quendam.

EPIGRAMMA LIII.

BIbliopola ego non ſum : qui ſim noſcere quæris ?
Edo, quod vendat bibliopola tibi.

De Antonio Albergato.

EPIGRAMMA LIV.

SCrinia Theſpiadum quædam mea fortè recluſit,
Legit, & in chartis nomina multa meis.
Blanchinum, Barbatiadas, Minum, Beroaldum,
Rangonem, Blanchum, Bentivolos, Pepulum.
Poſtquam Albergati nomen non repperit : ure,
Ure, inquit, ſubitis ſcripta profana rogis.
Albergatus abeſt, Cyrrhæi gloria collis?
Civibus ille ſuis annumerandus erat.
Fautorum è turba ſi prætermiſeris unum,
Effugere ingrati non potes ipſe notam.
Inter tot Superos quondam neglecta Diana
Ultricem Tydei miſit in arva feram.
Dixit, & in tenues furibunda evanuit auras,
Magnum, Bentivolus ni foret, auſa nefas.

Digitized by Google

Ad Gabrielem Taſſinum.

EPIGRAMMA

LV.

ME, Taſſine, tibi, mihi te facundia, virtus,
Par ſtudium, atque pius conciliavit amor.
Quos non ulla dies, non intervalla locorum,
Nec mala diſiunget lingua, nec herba nocens.
Labentur citius convexi ſydera mundi,
Cunfunderque iterum cuncta elementa chaos,
Quàm, Taſſine, tibi videar contrarius ire,
Aut cadat à noſtro pectore tanta fides.
Quis mihi non credit? bona quæ fundamina jecit,
Æternum viridis durat amicitia.

Ad Herculem Strozam.

EPIGRAMMA

LVI.

QUærebam, Alcide, te: quidam interrogat, an ſim
Muſicus, eſſe nego: quærit, an Aſtrologus?
Abnuo, Philoſophus ne? nego, quid? non ne Poeta?
Riſi, & cur petis hæc inquam? ait, Herculem adis,
Quem ſoli norunt docti, doctique ſequuntur,
Qui ſolos doctos diligit, atque fouet.

Ergo

Digitized by Google

Ergo qui venit ad te, aut eſt, aut eſſe putatur,
Philoſophus, Vates, Muſicus, Aſtrologus.
Herculis ærumnæ ſunt multæ: non tamen unum
Hunc titulum ſuperant Herculis alterius.

Ad Eumdem.

EPIGRAMMA

LVII.

SI quis templa Jovis ſubit precator,
Præſenteſque cupit Deos habere,
Et votis faciles, acerra thuris
Sit plena, & precibus petat modeſtis,
Quæ nemo Superum negare poſſit:
Rerum commoda ſcilicet ſuarum,
Ventos navita puppibus faventes,
Reges divitias, boves arator,
Muſis concilient ſuis poetæ
Secura otia, nec precentur ultra.
Inſtar te colo numinis, tibique
Vitam devoveo, Hercules, Dearum
Noſtrarum decus, unicumque lumen.
Verſus muneris hos loco dicamus,
Qualeſcumque ſinunt venire curæ,
Curæ, quæ, duce te, procul recedent
Liquentes animum gravi labantem
Mœrore, anxietateque, & dolore.
Laudes liberior tuas canendo,
Otî te artificem mei fatebor.

Ad Lucam Ripam.

EPIGRAMMA LVIII.

SCripſi de te; non ad te: quid, Ripa, jocaris?
Abſit ab ingenuâ ſimplicitate dolus.

Ad Angelum Ranutium Dictatorem.

EPIGRAMMA LIX.

HAnc tibi felicem poteris, Ranutia, proles
Dicere, quæ patriæ dat tua jura, diem.
Hæc eſt, quam cupiunt cives, ob cujus amorem
Diſcrimen vitæ quemque ſubire juvat.
Non eſt illa dies multos celebranda per annos,
Qua patriæ princeps diceris eſſe tuæ?
Fac igitur juſto populus ſub faſce quieſcat:
Et ſedeat gremio patria tuta tuo.

Digitized by Google

Ad Eundem.

EPIGRAMMA

LX.

ANgele, qui patriæ tractas moderator habenas,
I, pete Bentivolæ tecta beata domûs.
Inque meâ cauſa ſupplex oracula poſce:
Reſponſum veniet mitis ab ore Dei.
Quòdque egeat (tantus nitor eſt) interprete nullo,
Non perplexa tibi noſter Apollo canet.
Nec tellus illic mugit, nec vocibus ullis
Turbabit greſſus cana Sibylla tuos.
Nec tibi per tenebras, nec per loca plena timoris
Eſt iter: haud metuas, te duce, tutus eris.

Ad Nicolaum Rangonum.

EPIGRAMMA

LXI.

QUalis Threicias ſi quando flectit in oras
Mars currus, ſtrepitu per juga ſumma volat.
Aut abit à Veneris læto conſpectibus ore:
Aut minus iratus mitior arma capit;
Eſt hodie viſus talis Rangonius heros,
Cum regeret frænis ora frementis equi.

Adde pios vulgi plauſus, & magna ſuorum
Gaudia, Felſinei lætitiamque Ducis.
Hanc, Rangone, potes natalem dicere lucem,
Quæ tibi, quæ ſemper candidior redeat.

Ad Benedictum Barbatiam.

EPIGRAMMA

LXII

HAc, Benedicte, die noſtri tibi luminis auras
Stamina ducentes alba dedere Deæ:
Et volucres placidos fudere per aera cantus,
Dum miſſum æthereo nectar ab axe bibunt.
Ipſa parens rerum vultum natura decorum
Induit, atque ſuum læta probavit opus.
Sæpe aliis Lucina gravis, mitiſſima matri
Tempore, quo partûs venerat hora, fuit.
Pierides longas choreas duxere puellæ,
Nec tua ſubticuit, pulcher Apollo, lyra.
Fertur Atlantiades ſocium natalis adiſſe:
Nam ſimili (ut perhibent) natus & ille die eſt.
Fulgoremque tulit veniens, riſumque venuſtum
Aureus, & facili grandia dona manu.
Accipe, chare puer, multis cum dotibus, inquit,
Corporis, ingenium, divitiaſque pares.
Et, quantum licet ex fatis prænoſcere, morum
Exemplar, ſpecimen, regula, & auctor eris:
Ve? Deus cecinit, Benedicte, nec ullus in urbe
Felſinea, aut toto ſanctior orbe manet.

Digitized by Google

Ad Taurellum.

EPIGRAMMA LXIII.

TE ſævi Matris caſtra inſidioſa fatigant,
Feſſaque nil unquam membra quietis habent:
Aſt ego non vereor, rumpant mea tecta rotatu
Saxa, per aereas igne ferente vias,
Qualia ſævorum vi miſit in arma Gygantum,
Aut in Solis equos fulmina dextra Jovis.
Iſtic victricis merearis præmia palmæ,
Iſtic & veſtrâ Pallade digna geras.
Hîc ego ſub placidi, Taurelle, Cupidinis alis
Vivam, nulla ferens præmia deſidiæ.
Si modò deſidia eſt, pharetratus tela Cupido
Quæ jactat, molli pectore ferre faces.
Nulla diu durant, verſantur at omnia ſemper,
Nunc pax alta ſedet, nunc fera bella fremunt.
Nunc cœlum nitidum eſt cryſtallo purius omni,
Caligat toto nunc gravis umbra polo.
Errat & incertis volitatque per omnia pennis,
Ordine rexit amor perpetuoque nihil.
Nam modò qui fuerat ſtagno, placidâque palude
Mitior, in pectus ſævit amor miſerum.
Heu quid commerui, ſcelere aut quo Numina læſi,
Ut ſic iratos cogar habere Deos?

Deſine,

Digitized by Google

Deſine, cæce Puer, videas quo dirigis arcum:
Hoc ſaltem liceat corda ferire modo.
Tunc contunde feras, & qui tua tela, tuoſque
Arcus eſſe nihil dicere non metuunt.
Utque tibi maior veniat victoria, vince
Pallada: mox celebrem virginitate Deam.
Hoc fac, efficias: non debellabis inermes:
Sed quæ tela gerunt, tela gerenda Deis.
Hinc tibi honoratos, hinc quære, ſuperbe, triumphos,
Victrices cupias hincque referre manus.
Interdum moveat matris clementia natum:
Matris ab exemplo parcere diſce, Puer.
Cornua ſint tauris, rigidique leonibus ungues,
Horreat & ſetis dente timendus aper.
Ora verecundo pueri ſint tincta rubore,
Et riſus placidos fundat ab ore puer.

In Poetam.

Digitized by Google

In Poetam Clancularium.

EPIGRAMMA

LXIV.

DUm mihi detraxiſſe putas, ſuper æthera tollis,
Zoile, quòd videor diſplicuiſſe tibi.
Tu me per tenebras ſequeris, tibi noſtra papyrus
In mediâ dicit luce: canine, tace.
Denique quiſquis es, huc venias, præſenſque loquaris:
Sed Phœbi radios noctua ferre nequit.

De ſuis Carminibus.

EPIGRAMMA

LXV.

CRedideram falſâ laudari carmina voce,
Quæ cecinit medio noſtra camœna foro.
Nunc quoniam invidiæ telis oppugnor iniquis,
Me nihil in toto doctius orbe puto.

In Zoilum.

EPIGRAMMA LXVI.

ZOile, parce pium toties lacerare poetam:
Non ego ſum morſu præda petenda tuo.
Hei mihi quid feci? noſtro quis carmine læſus?
Jurgia quæ movit pagina noſtra? rogo.
Bentivolumque Ducem cecini, cecinique Tribunos;
Noſtra ideo debet tot mala muſa pati?
Sic pietas patriæ colitur? patriæque parentis?
Sic jus hoſpitii, ſic in honore ſuo eſt?
Tu meliora facis? fateor: ſuperaſne Maronem?
Hoc etiam fateor: quis negat? eſto, lubet.
Zoilus haud ego ſum, dices: da nomen, & ipſo
Te potius dicam nomine: quiſquis eris.
Sed quid plura? tace: Parnaſſi Numina teſtor,
Teſtor laurigerum, thyrſigerumque Deum:
Diligo Muſarum cultores, diligo doctos,
Et qui Pieriis ora rigantur aquis.

De

Digitized by Google

De Guidone Pictore Bononiensi.

EPIGRAMMA LXVII.

PRisca suos laudet, laudet Pictura magistros;
Quos bona posteritas vivere morte facit.
Dum modo Guidonem cunctis præponat, & illum
Efferat in Cœlum laudibus istud opus.
Namque decus patriæ duplex Galeatius urbis
Perpetuo vivit tutus ab interitu.

Distichon.

EPIGRAMMA LXVIII.

EFfigies sacrata diu mortalibus adsis,
Seu natura dedit, seu manus ora tibi.

De

De Bernardo Anaſtaſio.

EPIGRAMMA LXIX.

QUi modo ſilveſtrem muſam, qui paſcua ruris,
Qui te ſub fagi tegmine, Tityre, adit,
Ne quid Mantois cedat Florentia campis
Partu læta ſuo non minus, efficiet.
Poſtmodo ad agricolas veniet novus iſte poeta,
Aſcræumque canet carmen, & arva colet.
Victorum dein geſta Ducum, Regeſque ſuperbos
Aggreſſus, laudi præmia cuique dabit.
Bernardum doctæ Puerum ſervate Camænæ:
Ne veſtra omnino lingua Latina cadat.

Ad Albertum Germanum.

EPIGRAMMA LXX.

DIſtraxere meam non pauca negotia mentem,
Vela dare obſequio quæ vetuere tuo.
Adde quòd altiloquo ſperaſti carmine laudes
Me celebrare tuas, parque referre pari.
Subticuiſſe fuit ſatius, quàm turpiter ultra
Ingenii vires verba movere mei.

Deni-

Denique ne taceam penitus quæ docta Sororum
De te promittat turba, referre libet.
Arctoo nuper Latium qui venit ab axe,
Et facit aligero dulce poema pede,
Pergat, & incœptis nunquam desistat honestis,
Fiet enim nostri gloria magna Jugi.
Barbaricàque nihil pudeat tellure quòd illum
Lucinæ in lucem proripuere manus.
Democrito patriæ crassus nil obstitit aer,
Quo minus in superas scanderet ille domos.
Hæc, Alberte, mihi, somnus dum membra foveret,
Musa dedit, certè musa benigna tibi.

De Cado exhausto.

EPIGRAMMA

LXXI.

VInum animam tandem tenues efflavit in auras,
Inque cado mansit nil nisi mitis odor.

Ænigma.

EPIGRAMMA

LXXII.

QUo satus est genitore puer, dic, fœmina, quæso,
In gremio cujus membra tenella foves?
Filius hunc genuit meus, est & conjugis idem
Frater: sed, Christi lege vetante, nihil.

In Zoilum.

EPIGRAMMA

LXXIII.

CArmen ridiculo canamus ore,
Quo nos insequitur poeta noster,
Noster, scilicet invidus veneno
Perfusus rabido, & nimis protervus,
Dum vatis cupit innocentis aures
Telis confodere improbus, malignus,
Nusquam Zoilus est, abit, recessit,
Mentitum toties pudet, pigetque.
Ignosco tibi, quisquis es, redito.
Jungamusque manus, sumus poetæ:
Vivamusque simul, sumus poetæ,
Quanvis tu bonus, eruditus, acer,
Quo non Mæonius, Marove maior,
Quanvis sim malus: attamen poeta,
Heu! frustra vocor. Percitus furore
Infelix rapitur, sonant flagella,
Dat pœnas sceleris, Megæra cædit,
Ardentesque faces in ora quassat,
En nudus sine pelle jam redivit,
Salve, Marsia: victor has levabit
Pœnas: victus es: ast Apollo vicit.
Sed cur auriculas habes aselli?
Quod monstrum video insuper tremendum?
Dic qua Marsiam agis, Mydamque culpa?

Sed

Sed novi, memini: Hermicum poetam
Injuſte laceras nihil merentem
Quicquam tale: cave, miſer, laceſſas
Muſarum comites, ſimulque alumnos.
Inſanire ſemel ſatis, ſuperque eſt,
Ni ſtrictam cohibent lupata linguam,
Vitæ quod ſupereſt, miſelle, perdes.

Epitaphium Conſtantini Seraphini.

EPIGRAMMA LXXVI.

HOſpes ad hunc oculos tumulum converte parumper,
Sic lucis longas dent tibi fata moras.
Hîc Conſtantinus tegitur, ſpes magna clientum,
Quem juvit cauſis fraudis ineſſe nihil.
Arbiter ò quoties concordi voce diremit
Lites, clamoſi jurgia magna fori.
Conſilium, virtus, gravitas, prudentia, mores,
(Proh dolor!) in tumulo cuncta ſepulta jacent.
Gens Seraphina ſuo luget ſpoliata nitore,
Gaudet &, in Cælum quòd, Seraphine, redis.

Digitized by Google

Ad Fanum Lucam.

EPIGRAMMA LXXVII.

ÆRe cavo natum mulier lavit, alter acutum
Mucronem imprudens inſeruit jugulo.
Clade parens nati conterrita deſerit illum,
Quem lavit, & ſeram ſenſerat alter opem:
Dum mediis pueri ſingultus audit in undis,
Unum ne perdat, perdidit illa duos.

De Amore.

EPIGRAMMA LXXVIII.

SUm puer ante omnes natus, ſed tempore in omni
Sum puer: olim ætas quæ fuit, eſt hodie.
Eſt regnum ſine fine meum, ſine fine triumphus,
Miraris? facient tempora nulla ſenem.

Digitized by Google

Ad Jacobum Souſam Pontificem.

EPIGRAMMA LXXIX.

SI te conſpicerem triplici ſplendente coronâ
Sublimem Petri ſceptra tenere manu,
Fors fortuna meis concederet otia muſis,
Cantaremque tibi liberiore pede.
Souſa, Deos utinam pietaſque, fideſque moveret;
Ut poſſem voti compos abire mei.

Sententia.

EPIGRAMMA LXXX.

SI bene quis cupiat de ſe quemcumque mereri,
Libertatis habet jam nihil ille ſuæ.

Digitized by Google

Ad Librum Sozini.

EPIGRAMMA

LXXXI.

SOzinus vocat, heus, Liber, recede,
Quem jam credideram meum vocari:
Sed ſum falſus opinione demens?
Cogor reddere te, Libelle, cogor.
Heu quàm invitus abis, diu camœnæ
Commixtus fueras venuſtiori,
Aures barbara delicatiores
Circum verba ſonare jam videntur.
Inter ſanguineas miſer querelas,
Et convicia, litigantiumque
Clamores, lachrymasque debitorum,
Inter jurgia nunc tibi morandum eſt.
Qui magni fueras comes Maronis,
Naſoniſque mei, & comes Tibulli:
Infelix eris ex cohorte Baldi,
Rophredi ſocius, Cinique compar.
O ſortem miſeram! ſed hoc patronus
Sozinus bonus omnium, clientes
Quo ſperant pavidi dolos cavere,
Juſſit: juſſa ſequor: Liber, recede.

Ad

Digitized by Google

Ad Nonium Cayadum.

EPIGRAMMA LXXXII.

LEgibus incumbo, Noni, tua juſſa ſecutus;
Namque jubere potes & pater, & dominus.
Ingenium, muſas, vitam tibi debeo, Cæſar
Non dare plura ſolet, non dare plura Deus.

Digitized by Google

HERMICI CAYADO Ulyſſiponenſis EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

Ad Ludovicum Teſſiram.

EPIGRAMMA I.

PRæbuit audacem primus Teſſira ſecundum:
Præſidio tutus dicitur ille tuo.
Defendit noſtram aut jus, aut facundia cauſam:
Tu præſtare mihi ſolus utrumque potes.
Sic te dum celebro, mihi conſulo, gloria magna eſt
Hæc tua, nam ſuperis te facis eſſe parem.
Thure Deos donant homines, homineſque viciſſim
Muneribus donant pro pietate Dei.

Ad

Digitized by Google

Ad Emmanuelem Regem.

EPIGRAMMA

II.

EXtremos fertur penetraſſe Semyramis Indos,
Et cum Pellæo Liber adiſſe duce.
Quæſitumque diu Nili caput, & Garamantes
Vix olim noti gentibus Heſperiis.
Æſonides Colchos, rigidique ad Phaſidis undas
Vectus, in Æmoniam rettulit inde pedem.
Hæc quota pars magni quem tu jam detegis orbis,
Inclyte Rex? diſtant paſſibus illa decem.
Ignotum tentatur iter, quàque it tua puppis,
Solem alium cernunt, ſidera nautæ alia.
Eſſe Deos illic alios terræque, mariſque,
Atque alia credunt fulmina torta manu.
Aſtra vident non viſa prius, cynoſura receſſit,
Actophylax nuſquam eſt, Tyndaridæque latent.
Cumque ratis dubiis errat jactata procellis,
Numina ſola docent Emmanuelis iter.
Apparent urbes tandem, genteſque remotæ,
Ad quas pervenit nominis aura tui.
Inde piper, coſtumque ferunt, durosque adamantas,
Largius inde aurum, & ſedula mancipia.
His tu divitiis princeps digniſſimus, à quo
Theſauri manant vel melioris opes.
Nam pietas liquidi ſedem dabit ætheris unam,
Ut proavos poſſis exuperare tuos.

Juſtitiâ populos, placidâque in pace gubernas,
Sincerâque colis relligione Deos.
Denique nil norunt maius te ſæcula; nam quæ
Vix ſunt in cunctis regibus, unus habes.

Ad Petrum Ægitanienſem Pontificem.

EPIGRAMMA III.

CRiminibus maculata novis pia limina ſordent,
Caſtaque vix uſquam ſupplicat ara Jovi.
Exitium terris magnum portenta minantur,
Grataque Cœlicolis victima nulla cadit.
Et fibris inhians pallet conſultus aruſpex,
Nec bubus quiſquam mille litare poteſt.
Deſperare nefas, placabitur ira Deorum,
Falciger Heſperio regnat in orbe Deus.
Cui Tagus, & Ganges, mundi confinia, parent,
Cui ſervire etiam gaudet uterque polus.
Si renovare Deis placet omnia, ſe tibi, Petre,
Alterius credet regia ſacra Petri.

Digitized by Google

Ad Antonium Galeacem Bentivolum.

EPIGRAMMA IV.

SIs felix, Galeax, Latiæ decus undique gentis:
Sis felix patriæ lumen, & aura tuæ.
Hanc tibi ſilvarum miſerunt læta ſalutem
Numina, Camaldi quæ juga concelebrant.
Qui fert, jam cecinit patriæque, patriſque, tuaſque
Laudes, ſed Phœbo percutiente lyram.

Ad Minum Roſcium.

EPIGRAMMA V.

UNica Pieridum ſis felix gloria, Mine,
Mine, puellaris dulcis alumne chori.
Nuper ab Aoniis deſcendi collibus, unde
Tot vates clarum nomen ad aſtra ferunt.
Diruta Caſtalidum vidi delubra Dearum,
Vidimus & Daphnen frondis habere nihil.
Hæc immane genus loca poſſidet, inſuper ipſas
Ah! Muſas trepido juſſit abire pede.
Omnia reſtituet Phœbus: ſed vindice Mino,
Quem ſolum facti gloria tanta manet.

Digitized by Google

Ad Herculem Ducem.

EPIGRAMMA

VI.

GRatulor, ò magne Alcide, tibi, qui tot alumnis
Vatibus, extollis vel ſuper aſtra caput.
Stroziadæ natuſque, paterque Cupidinis alas
Verſiculis afflant undique dulciſonis.
Quid Thebaldei dicam plectrumque, lyramque?
Quid Cælî laudem carmina docta mei?
Quid Pannizati divina poemata? quid quæ
Baptiſta effundit? ſive ſolutus eat,
Sive pede aſtrictus properet minus, omnia callet
Nimirum, linguâ doctus utrâque loqui.
Eſt Philomuſus item nullo non carmine dictus,
Materiam de ſe vatibus ille facit.
Alter Ariſtarchus jugulat mala carmina Ripa,
Ipſe facit Clario carmina digna Deo.
Hi vates omnes (quæ fandi cuique facultas)
Non ceſſant nomen tollere ad aſtra tuum.
Teque otî autorem concordi voce fatentur
Quiſque ſui, adde quòd eſt te ſine dulce nihil.
Nil Stryga, nil Lethen metuas, donabere Cælo
Seriùs, interea te colit Eridanus.

Ad

Ad Blancham Bentivolam.

EPIGRAMMA VII.

INvitum traxit ſociusque, comesque, ſodali
Parendum (ſtultus ſit licet ille) fuit.
Namque ego non ſapiens videor mihi ſolus, agorque
Quo me cumque rapit ventûs, & aura levis.
Nec veniſſe quidem Rangonis ad alta pigebit
Tecta, locus magnos vel decet iſte Deos.
Utque tuos vidi natos, tot ſydera, dixi,
Fient, quot domini pignora cerno mei.
Et tu cælicolis, genitrix, lætabere natis:
Et mater fies altera, Blancha, Deûm.

Ad Atlanta Citharœdum.

EPIGRAMMA VIII.

DUlciſonis fertur duci concentibus æther,
Mirarique artem vocis uterque polus.
Quæ ſi vera canunt vates, nec decipit error
Felices animos, qui ſuper aſtra volant,

Stelli-

Stelligerum ſuſpendit Atlas modulamine mundum,
Atlas, Phœbeæ gloria prima lyræ.
Huic cælum paret, Maurum quod Atlanta fatigat;
Præſtat enim longè viribus ingenium.

Ad Guidum Pepulum.

EPIGRAMMA

IX.

GUido, decus claræ patriæ, comes inclyte, cernis
Dulcibus ut reſonent tecta ſuperba modis?
Quid mirum, ſi plectra movet notiſſimus Atlas?
Atlas, laurigeri gloria magna Dei?

Ad Robertum Lantonum.

EPIGRAMMA

X.

SCribe aliquid quoties mihi dicis, & acriùs inſtas,
Ancipitem reddis mentem, animumque magis.
Nam niſi proveniant facili mihi carmina lapſu,
Nequicquam calamum ſedula dextra capit.
Expecta, Roberte, igitur, cum fœnore nempe
Quod tibi promiſit, noſtra Thalia dabit.
Tunc tuus æthereum ſonipes æquabit Olympum,
Et tecum vivet munere ubique meo.

Ad

Ad Alexandrum Bentivolum

EPIGRAMMA

XI.

Felix, felixque redi, fortiſſime ductor,
Incipe jam patris fortia geſta ſequi.
Sanguine Bentivolo nunc te fateare creatum,
Incipe jam proavos æquiparare tuos.
Ne dubita, lætis veniet victoria pennis,
Quæ clarum reddat nomen in orbe tuum.
Bellica virgo ſuo juveni, Mavorſque favebunt,
Auſpiciisque aderit numen utrumque novis.
Nomine, Alexander, Tuſcas quod fama per urbes
Vulgavit, trepidant caſtra inimica tuo.
Rebus in afflictis gaudet Florentia tandem,
Et Piſas credit, te duce, poſſe capi.
Quique diu jacuit gelidâ quaſi febre ſepultus,
Te duce, Mœonius jam movet arma leo.

Ad

Digitized by Google

Ad Paulum Silovitium.

EPIGRAMMA XII.

PAule, tuas laudes mecum dum corde voluto,
Atque animi dotes, ingeniique tui:
Plectra, lyramque manu capio, mox tendere nervos
Incipio, & noſtras ſollicitare Deas.
Tunc illuſtre genus, præclaraque geſta tuorum
Mœonio ſubeunt vix referenda pede.
Mens mea tantorum decus admirata virorum
Obſtupet, & rerum pondere victa cadit.

Ad Franciſcum Sengladam Hiſpanum.

EPIGRAMMA XIII.

INgenio, Franciſce, tuo, linguæque diſertæ
Gratulor, & generi, gratulor & patriæ.
Conſuluiſti hodie patriæque, tibique, tuiſque,
Præmiaque ingentis magna laboris habes.
Et tibi quam Æacides, Priamuſque, & maximus Hector
Plus vigil in mediâ nocte lucerna dedit.
Corporis eſt ea vis, animi ſolertia longè
Exuperat magnis proxima cælicolis.

Ad

Digitized by Google

Ad Amicum.

EPIGRAMMA

XIV.

SUpplicium nullum maius, nec durius ullum eſt,
Quàm ſi ſervitio gratia nulla datur.
Servio, nec ceſſo domino ſervire ſuperbo,
Sed ſunt ſervitii præmia nulla mei.
Hei mihi libertas periit pretioſior auro,
Et tulit hinc niveum non reditura pedem!
Improbe, vel noſtri pretium jam ſolve laboris,
Vel nimis ingratum te fateare licet.

Ad Suos Verſiculos.

EPIGRAMMA

XV.

NOn penitus vobis fautores, Carmina, deſunt:
Supplice Rangoni fundite corde preces;
Nam fovet ingenia, & vatum miratur acumen,
Et multum vobis numinis eſſe putat.
Sunt etiam dulces cæleſtia pignora nati,
Quales crediderim vix genuiſſe Jovem.
Inter quos Guido fratrum pulcherrimus hauſit
E noſtro vates flumine factus aquas.
Ite igitur, placidi nec Principis ora timete:
Continget veſtræ nulla repulſa preci.

Deorum Altercatio

EPIGRAMMA XVI.

APtabat capiti galeam Mars, Juppiter illum
Vidit, & his natum vocibus alloquitur.
Nequicquam arma paras fatorum neſcius, armis
Nil opus eſt: geritur res ſine militibus.
Gallus adeſt; Latiumque premit, tua mœnia, Romam
Deſeruit virtus, deſeruitque fides.
Oblitique tuo cretos ſe ſanguine cives
Indulgent ſibi, nos nullo in honore ſumus.
Per Stygà, nate, tibi juro: gens impia pœnas
Mox ſcelerum ingentes, exitiumque luet.
Dedecus ò noſtri generis, proh pignora noſtra!
En tibi Romulidas, Martigenaſque viros.
Ergo ego, Mars inquit, patiar, Rex maxime Divûm,
Auſoniam fœdò ſubdere colla jugo?
Ergo incenſa iterum Senonum capitolia flammis,
Uri tecta iterum noſtra videre lubet?
Natorum immemores Superi, immemoreſque nepotum,
Mortales meritò Numina nulla putent.
Quòd ſi certa ſedet, Genitor, ſententia menti:
Quin incuſſa tuis tela cadunt manibus?
Hanc litem Clotho ſic interfata diremit:
Tu cura fulmen, tu fera bella gere.
Nam mihi venturum, geminisque ſororibus ævum
Notum eſt, fungamur munere quiſque ſuo.
Dixit, & in tenues furibunda evanuit auras:
Quid facient homines? obſtupuere Dei.

Ad

Ad Petrum Fliſcum.

EPIGRAMMA XVII.

NOn rerum natura parens mortalibus æquè
indulſit, mater, dura noverca eadem.
Quis dedit ingenii vires, animumque capacem,
His deforme nimis corpus iniqua dedit.
Contra, corporeis largè quos dotibus ornat,
Hos videas paſſim cordis habere nihil.
Adde quod eſt hominum variis obnoxia vita
Criminibus; vitiis nam ſine nemo fuit.
Petre, tuâ poteris contentus vivere ſorte,
Nec de naturæ legibus ipſe queri;
Nam dedit ingenium, & fœdo ſine crimine mores,
Et faciem, Clarium quæ decet uſque Deum.
Quid referemus opes, proavos, patriamque ſuperbam?
Ex his felicem ſingula te faciunt.

Ad

Ad Ludovicum Teſſtram.

EPIGRAMMA XVIII.

ACcipis? an nobis donum, Teſſira, remittis?
Accipe, quid dubitas? dona clientis habes.
Sed ſi fortè nimis videor tibi munera parcè
Mittere, tu nobis uberiora dato.

De Filiis Bentivolis.

EPIGRAMMA XIX.

ANnibal, & Galeax, & pulcher Alexis, & Hermes;
Nomina ſunt ipſo ſemper amanda ſono.

Ad Robertum Lantonum.

EPIGRAMMA XX.

CArmina carminibus mutare, Roberte, parabas,
Et pro verſiculis reddere verſiculos.
Obvius ire tamen volui conatibus iſtis:
Ut mihi pro parvo munere magna dares.

Digitized by Google

Ad Benedictum Barbatiam.

EPIGRAMMA

XXI.

SI metiri animo vellem, Barbatia, munus,
Quod tibi ſit vatis pignus, amorque tui:
Non mihi divitias Crœſique, Mydæque putarem
Eſſe ſatis, meritis nec ſatis eſſe tuis.
Hoc quodcumque igitur cellà de paupere mitto,
Accipe: ſed placidâ, mi Benedicte, manu.
Thure pio Superi gaudent, & munere Reges:
Muneribus ſolitus claudere nemo fores.
Quo Superi & Reges, quoque te gaudere neceſſe eſt:
Vel mea ſi non vis munera, mitte tua.

Ad Rodericum Dubravum Boemum.

EPIGRAMMA

XXII.

SI formâ ſuperes cunctos, virtute perinde
Ut ſuperas, formâ cedat Apollo tibi.
Sed quid forma juvat? præſtat virtute placere:
Forma perit, virtus pulchra, diuque manet.
Quid quod virtutem, & formam, Roderice, videmus
Eſſe tibi pariter, conſimilique modo?

Ad

Ad Ludovicum Teſſiram.

EPIGRAMMA XXIII.

QUando ego liber eram, nec amoris percitus igne,
Non niſi veſanos rebar amore capi:
Præter quem Phœbus daret, aut Semeleius Ævan,
Non credebam hominum corda furore rapi.
Nunc quia quid ſit amor novi, ſententia verſa eſt:
Quæ non læſit amor pectora, ſana puto.
Quæ ſit cauſa mei quæris, Teſſira, furoris?
Dicam equidem: haud humili nata puella loco.
Cujus in inſidias poſtquam devenimus, acre
Servitii patior nocte, dieque jugum.

De Amore.

EPIGRAMMA XXIV.

MIlitiæ dicunt incommoda Martis ineſſe
Multa: dolos, raptus, vulnera, damna, neces.
Sunt in amore etiam metuenda pericula nobis,
Non quæ bella ferunt inferiora malis.
Morte nihil poſſunt victis dare triſtius arma,
Morte nihil melius dat violentus amor.

Adde

Digitized by Google

Adde quod interdum Mavors diſcedit ab armis:
At ſua perpetuò bella Cupido gerit.
Et tuba pulſa monet redeundum in caſtra repente,
Peſſum aciem quoties dux videt ire ſuam;
Sed Veneris puer indomitus ſine fine cohortes,
(Immineant quamvis mille pericla) premit.
Hoc in amore malum, quo nullum denique maius:
Libertatem animi perdimus, atque animum.

Ad Herculem Strozam.

EPIGRAMMA XXV.

DEſinat Alcides clavam jactare cruentam,
Tartareumque Canem, carnificeſque manus.
Quippe feris eadem potuit contingere virtus,
Quæ robur tantum corporis hujus habet.
Succumbant igitur pharetræ, ſpoliumque leonis,
Alcide, citharæ, carminibuſque tuis,
Carminibus, quæ ſaxa trahunt, quæ flumina ſiſtunt,
Quæ migrare jubent ex Helicone Deas.

Ad Titum Strozam.

EPIGRAMMA XXVI.

FOrtunæ dotes, animique, & corporis extra
Inter felices nullus habendus erit.
Regia maieſtas, alter Maro natus, opeſque
Sunt tibi, & Aonio pectora plena Deo.
Tam manifeſta negat nemo, nec, Tite, negabit
Quiſquam, cui ſit mens ſana, nec invideat.

Ad Sabinum.

EPIGRAMMA XXVII.

NUſquam aliquem læſi chartis, nec voce, Sabine,
Quin fuerint in me tela retorta prius.
Teſtis es ipſe mihi, qui quædam epigrammata jactas
Autori potius objicienda ſuo.
Sed tenebris latuit ſemper, ſemperque latebit,
Jampridem in Stygias præcipitatus aquas.

Digitized by Google

In Furium.

EPIGRAMMA XXVIII.

FUri, diligis Hermicum? Sabinum,
Furi, dilige, ſed ſtude Sabino,
Furi, dummodo nos quoque abs te amemur:
Furi, quid merui? quid innocentem,
Furi, carpis? an eſt boni, probive,
Furi, carpere? an eſt quod ipſe carpas?
Furi, Furi, iterum monende Furi,
Furi, dilige & Hermicum, & Sabinum.

Ad Marcum Antonium Parmenſem.

EPIGRAMMA XXIX.

POllicitus fueram de te mihi multa, ſed ipſe
Maior, quàm nobis fama ferebat, ades.
Carmine (ſi qua fides) vidi nil terſius illo:
Uſque adeo priſcâ ſimplicitate placet.
Judicium hoc noſtrum ſincerâ ex mente profectum eſt:
Sic vivat nomen tempus in omne meum.
Emanſor potiùs, quàm transfuga, Marce, voceris,
Ad primique redi ſigna relicta ducis.
Ut tibi contingat circum ſacra tempora laurus,
Et tua poſt cineres fama ſuperſtes eat.

Digitized by Google

Ad Ludovicum Teſſiram.

EPIGRAMMA XXX.

VErſiculos carpunt aliqui, quòd barbara in illis
Plurima, quæ græco nomina fonte carent.
Hoc rude vulgus ait, tremulæ cui murmura linguæ,
Et cui dumtaxat lubrica verba placent.
In rebus, Teſſira, jocor, non nomina fingo;
Nullus enim noſtro carmine læſus erit.
Verſuti ſint uſque alii, ſalſique vocentur,
Nudâ ego dum placeam ſimplicitate tibi.

Ad Pandulphum Peſaurenſem.

EPIGRAMMA XXXI.

QUòd tantum, Pandulphe, probes epigrammata noſtra,
Gloriolam nequeo diſſimulare meam.
Ingenii pretium, fructuſque uberrimus ille eſt,
Laudatis aliquâ ex parte placere viris.
Hæc, Pandulphe, mihi ſtudiorum præmia duco
Æterna, intereunt cætera temporibus.
Ut lubet, expendant critici mea carmina: nil jam
Cenſoris metuo triſte ſupercilium.
Non tamen idcirco ſurgunt mihi vertice criſtæ,
Nec Luſitano de grege gallus ero.

De

De Amore.

EPIGRAMMA XXXII.

MArtem alii, Phœbumque alii venerantur, adorant:
Martis ego, & Phœbi sub pede colla premo.
Ipse Jovem domui, nec se vitasse sagittas
Jactaret verè pulchra Diana meas,
Si posset puer Endymion manifesta fateri:
Sed jussus somnos continuare tacet.

Ad Jacobum Sousam Pontificem.

EPIGRAMMA XXXIII.

SOusa Pater, Latiis qui nunc discedis ab oris,
Visurus patrii dulcia rura soli,
Romuleos postquam miratus in Urbe penates
Vidisti patriam, semideûmque lares,
I memor, i vatis, vestræ cui gloria gentis
Decantata feret vel super astra caput.
Interea supplex humili rogo voce Tonantem,
Pastorem ut faciat te gregis ille sui.

Ad Ludovicum Blanchum Dictatorem.

EPIGRAMMA XXXIV.

PRæmia virtutis, magnarum gloria rerum
Hac conceſſa tibi ſunt, Ludovice, die.
Quandoquidem ipſa tuo ſubdit ſe patria ſceptro,
Tradit & auſpiciis cuncta gerenda tuis.
Quàm tibi Janus adeſt felix, tam candida ſunto
(Quod reliquum eſt vitæ) tempora longa tibi.

Ad Fanum Conovicium.

EPIGRAMMA XXXV.

AD te, Jane, decus noſtrum, ſpes magna tuorum,
Qui Muſas ſteriles non ſinis eſſe mihi,
Venimus, ut noſtri veneremur Apollinis ædem,
Ædem, quæ vatum ſublevat ingenia.
Salve igitur, venerande puer, puer inclyte, ſalve,
Namque ſalus pendet noſtra ſalute tuâ.
Hunc ſervate, Deæ, puerum, queis carmina curæ,
Ne pereat veſtri fama, decuſque chori.

Ad

Digitized by Google

Ad Ludovicum Folianum.

EPIGRAMMA XXXVI.

COnjugio læter ne magis, an cælibe vitâ,
Compertum liquidò vix ſatis eſſe poteſt.
Dignoſcet bene qui ſortem explorarit utramque;
Verum ut deprendas, experiare licet.
Sed quàm difficile eſt durum tentare periculum,
Liberaque æterno ſubdere colla jugo?
Femina, ſi locuples eſt, inſaniſſima rerum eſt:
Sordida, ſi pauper, prodiga, avara eadem.
Credula deformis, Junonem pulchra laceſſit:
Si generoſa, potens, ambitioſa, procax.
Hæc, Foliane, pati durum eſt, ſed ducere certè
Hac una uxorem commoditate volo:
Ut ſimiles aliquando mei mea pignora natos
Agnoſcam, & poſſim cernere memet ego.
Demens qui nitidum de formâ conſulit orbem:
Pulchriùs hoc ſpeculo cernitur effigies.

Ad Fanum Franciſcum Adrovandum Dictatorem.

EPIGRAMMA XXXVII.

PRæbuit ò quoties virtutis nomine multis
Imperium, & clarum nomen in orbe ſcelus.
Et qui perniciem patriæ tulit, ille ſalutem
Creditus eſt genti ſæpe tuliſſe ſuæ.
Fortunam cæcâ ſequitur caligine vulgus,
Quòque rapit volucer mobile ventus abit.
Evenit contra nobis, qui, Jane, fatemur
Eſſe tibi merito quidquid honoris habes.
Libera quandoquidem populo ſuffragia dantur
Felſineo, qui te fecit in urbe ducem.
Juſtitiæque dedit vexillum, & ſceptra tenere,
Et dedit arbitrio cuncta regenda tuo.
Aldrovanda domus gaudet, gaudentque propinqui,
Gaudet quique tuum noverat ingenium.
Non, ut Sylla ferox, violaſti jura ſenatûs:
Nec tibi regnandi tanta libido fuit.

Digitized by Google

Ad Eundem.

EPIGRAMMA

XXXVIII.

OMnia, quæ poteras, dixisti verba Senator:
Si quis plura velit dicere, non poterit.

Ad Fabianum Cavianum.

EPIGRAMMA

XXXIX.

CUr prodesse bonis, Fabiane, Renerius optet:
Quid quæris? dixi jam tibi, lucrifacit.
Quod tibi dat, nihil est: est multum, quod capit ipse,
Maxima si in te hominis conspicitur probitas.

Ad Renerium Jacobellum.

EPIGRAMMA

XL.

DEbeo, chare, tibi nimium, nimiumque, Reneri,
A quo sunt musis præmia tanta meis.
Si Mecœnatem te sæcula prisca tulissent,
Non nunc sola foret Virgiliana tuba.

Essent

Eſſent & plures Lyrici, Romanaque lingua
Ditior, & virtus ipſa in honore magis.
Quàm bene juſtitiæ partes tutere, clientum
In te non modicus teſtificatur amor.
Pupilli, viduæque, tuos ut proroget annos
Juppiter, aſſiduâ Numina voce rogant.
Det tibi pro meritis dulces Aſtræa nepotes,
Qui gelido figant oſcula longa ſeni.
Utque tuum nomen nullo non tempore duret,
Noſtra memor relegat carmina poſteritas.
Interea fœlix caſtâ cum conjuge vive,
Atque, ut cœpiſti, perge favere bonis.

Ad Herculem Ducem.

EPIGRAMMA

XLI.

ALcide, hoc munus poterit me reddere vatem
Exemptum multis ſollicitudinibus.

Ad

Digitized by Google

Ad Bartholomeum Blanchinum.

EPIGRAMMA XLII.

CArmina ſæpe ſolent ſubiti proferre poetæ,
In quibus ipſa ſuo pondere verba carent.
Rectiùs incluſi melioraque carmina fingunt,
Et quæ poſteritas docta probare queat.
Non nego conceſſum multis extempore verſus
Fundere, dum feriunt dulcia plectra lyram.
Aſt hoc temporibus noſtris vix contigit uni:
Deficit ingenium, cura, labor, pretium.
Nullaque ſunt hodie miſeris alimenta poetis,
Frigora queis poſſint, queiſve fugare famem.
Felices, rabioſa fori qui verba locatis,
Quorumque errores frigida condit humus.
Vos quoque felices, Regum qui mollibus aures
Imbuitis verbis, ſeditioſa cohors.
Nos ventus paſcit, paſcunt & inania verba,
Cogimur in totâ nil retinere domo.
In bello fuerit quantus cognoſcis Achilles,
Et quanto fuerit robore Priamides:
Alterius mortem, alterius perſæpe triumphum
Edoctus magni carmine Meonidæ.
Et duplicem Scyllam noſti, rapidamque Carybdim,
Et quæ ſunt largo monſtra tremenda freto.
Adde quòd & montes, & agros, & flumina noſcis,
Et Phrygios mores, Æthiopumque domos.

Et quæcumque poli ſervant convexa notaſti,
Et rerum cauſas diſcere cura fuit.
Quis tamen eſt fructus? miſerum quid multa poetam
Scire juvat? patitur nocte, dieque famem.
Nocte, dieque famem patitur, Blanchine, poeta,
Incedit nudus pene poeta miſer.
Ingeniis, Blanchine, faves tu ſolus in urbe
Felſineâ, ſolum te mala noſtra movent.
Quæ ſi divitibus mens omnibus eſſet, ubique
Naſo ſuum caneret carmen, ubique Maro.
Dii tibi divitias Craſſi, Dii Neſtoris annos
Dent precor, & Cygni nomen ad aſtra ferant.
In te præſidium pictoribus, atque poetis,
Ars quibus eſt eadem, mens quibus eſt eadem.
Gloria pictorum ſis teſtis, Francia, nobis,
Nec tu mentiri me, Beroalde, ſinas.

Ad

Ad Cælium Calcagninum.

EPIGRAMMA XLIII.

CÆli, qui decoras Caſtalidum choros;
Et famam patriæ quæris, & ingeni
Contendis Superûm viribus ad domos
Inniti, & meritis ſcandere ſydera,
Sacrum perge ſequi lumen Apollinis,
Lumen, quod mediâ nocte reluceat
Expellens tenebras, lampada proferens,
Qua monſtrante viam, turpia deſeras,
Secteris ſtudio, poſteritas bona
Quæ ſeris memoret facta nepotibus,
Quàm dignus juvenis laude, ſenem qui agit,
Et curas ſteriles, gaudiaque effugit,
Quæ præter fragiles nil tribuunt jocos.
Felix Pythagoræ qui bene compita
Dignoſcens graditur limite dextero,
Sed felicior eſt, atque beatior
Multò, qui potuit planitiem loci
Emenſis penitus montibus aſſequi,
Et victor fruitur perpetuo bono,
Ludos inſtabilis nil metuens Deæ.
Huc, ò Pierides, ducite Cælium
Cultorem Aonii Numinis integrum,
Veſtris quandoquidem muneribus nihil
Præponit, nec amat quæ Tagus ingerit

Noſter

Noſter fonte ſuo, nec popularibus
Auris erigitur, plectra ſed aurea
Dum ſumit manibus, dulciſonam ad chelim
Et Sylvæ, & fluvii, & marmora confluunt.

Ad Titum Strozam.

EPIGRAMMA XLIV.

PRimas ad Cererem fruges fert ruſticus: & cur
Non ferat? inventum ſemina ſunt Cereris:
Sic ego muſarum libamina prima mearum
Do tibi, Theſpiadum gloria prima, Tite.
Feciſti, dices, aliis quamplurima: ſed quæ
Feci antehac, pendo carmina pro nihilo.
Promittit renovata novas Ferraria vires,
Sentioque afflari me meliore Deo,
Mox canere incipiam divina poemata, tradam
Hinc decimam Alcidæ, primitiaſque patri.

Digitized by Google

Ad Robertum Lantonum.

EPIGRAMMA XLV.

AUtumnus gravidas jam jam calcaverat uvas,
Pampineâ vinctus mobile fronde caput.
Cum trepidant vulgo Satyri, tyrsosque capessunt
Mænades, atque avidè pinguia musta bibunt.
Stamina duxerunt fatales alba Sorores,
Matreque riserunt te pariente tuâ.
Accedunt propiùs Parcæ, videre rubentem,
Lantone, te in cunis, qui modò natus eras.
Quo mox candidius nec ebur, nec lilia, quo non
Marmora visuntur candidiora Pari.
Vive diu felix, puer ò pulcherrime, dixit
Una trium, nutu dicta probant reliquæ.

Ad Ludovicum Tessiram.

EPIGRAMMA XLVI.

EUropen, Tessyra, tuam natura tuetur,
Miratur faciem, lumina, colla, manus.
Quoque modo possit similes effingere vultus,
Illa parens rerum, dum meditatur, hebet.

Ipsa

Ipſa quoque attonita eſt falſi matrona Tonantis;
Europen veram, cornua vera putat.
Obliquatque oculos veteris non immemor iræ:
Mox abiit tanti vulneris impatiens.
Altera poſtponi queritur, dolet altera vinci,
Numina bina tuum ſollicitavit Opus.
Numina, queis maius nihil eſt, unde omnia nobis,
O decus, ò noſtri gloria ſola Tagi.

Ad Antonium Galeacem Bentivolum.

EPIGRAMMA XLVII.

QUid facis, Antoni? quid dulcia rura frequentas?
Quid toties genio, quæſo, vacare lubet?
Omnia cùm certis videas nutare periclis,
Cùm videas Latium triſtia bella pati.
Tempora magnanimus quærebat talia Cæſar:
Audaces belli quæque procella rapit.
Bentivolæ ſtirpis proles languere veterno
Inclyta non didicit, ſcandere ſemper avet.
Sanguine non gaudet, dices fortaſſe, ſacerdos,
Quo ſcelus eſt ſacras commaculare manus.
Iras conſilio poteris compeſcere Regum,
Pontificem poterunt dicta juvare tua:
Sic, quæcumque latet, fiet notiſſima virtus,
Doctaque purpureus tempora cinget honos.

Inte-

Digitized by Google

Interea volucres positâ dum decipis escâ
Rusticus, atque avidè pinguia musta bibis,
Haud te pœniteat cornu vocitare locorum
Hermicon agrestûm, qui modò cultor erat.

Ad Herculem Strozam.

EPIGRAMMA XLVIII.

SAlve, Stroza, decus Pieridum, gloria Apollinis,
Quo nil splendidius, nil melius posteritas colet:
Salve Stroziadum progenies inclyta, nobilis,
Patris fama Titi, vateque non inferior patre.
Vellem multa tibi scribere: sed cùm brevitas neget
Hoc mi temporis, & cùm vocitet languidulum quies,
Depono calamum, & cum calamo versiculos rudes,
Hoc plusquam satis est, vive, vale, sisque mei memor.

Ad Patronum.

EPIGRAMMA XLIX.

DIis veni auspicibus, sospes gratare clienti
(Sic tibi Dii faveant) chare Patrone, tuo.
Hei mihi quàm multos videor vixisse per annos
Te sine! si dici te sine vita potest.

Quam

Quàm nautis Zephyrus Phœbi naſcentîs ad ortum,
Et quàm grata fluit piſcibus unda ſuis:
Tam mihi dulcis amor, quo me complecteris, & quo
(Dummodo tu vivas) ſit mihi ſuave mori.
Nil Veneti placuere Patres, nil littera, nummos
Quæ tulit, è patrio littera miſſa lare.
Omnia nempe meo ſordent abſente Patrono:
Sint licet, Aſſyrius quas habet orbis, opes.

Ad Zachariam Contarenum Equitem.

EPIGRAMMA L.

DEſcribunt urbes alii, fluvioſque, locoſque,
Et monſtrant facili ſingula quæque notâ.
Marcus at ille ſitum Venetæ ſic tradidit urbis,
Cuncta rate ut videar, vel peragrare pede.
Non urbem meliùs veſtram pinxiſſet Apelles:
Adde quòd ignorant hæc monumenta mori.
En ipſas mitto tibi, Contarene, tabellas,
Ut videas, qui te progenuere, lares.
Quòd ſi fortè cupis quæ mitto remittere, fac ne
Scribam permittas illa videre tuum.

Ad

Ad Antonium Thebaldeum.

EPIGRAMMA

LI.

EST animo fixum, Antoni, immotumque parumper
Deſerere Aoniæ fila canora lyræ.
Non tamen idcirco credas me linquere prorſus
Pegaſidum noſtras Numina delitias:
Si faciles fuerunt Muſæ, nunc ſpero futurum,
Ut mihi ſuccurrant liberiore pede.
Nanque procelloſo jactatus gurgite legum
Confugere ad littus cogar Hamadryadum.
Illic & curas cantu ſolabor amico,
Et repetam imparibus carmina vecta modis.
Omnia tunc meliùs diſcam, interiùſque recondam,
Et quæ concipiam, protulero uberiùs.
Ceu tellus validis jampridem intacta juvencis
Fert lætas ſegetes fertiliore ſinu.
Et collata jocis rabioſa ſilentia noſtris,
Et lachrymæ, & rauci jurgia ſæva fori,
Monſtrabunt quantum diſtent his gaudia vatum,
Gaudia divitiis anteferenda Mydæ.
Pro viduâ, lachrymis quæ ſparſa tumentibus ora
Plorat adhuc rapti funera mœſta viri,
Pupillumque trahit flentem pueriliter, ad quem
Ipſa, ſile, nullas tutor habebit opes,
Proque notariolis duro repetentibus ore
Nomina centenis illita codicibus,

Et pro cauſidicis nugas vendentibus his, qui
Implicuiſſe dolos gaudia ſumma putant,
Jam venient blandæ Charites, Venus alma, Cupido
Ipſe, & Theſpiades Numina noſtra Deæ.
Laura novem veniet comitata Sororibus ipſas
Æquiperans formâ, carminibuſque Deas.
Laura pudicitiâ inſignis, pulcherrima Laura,
Alcidæ noſtri jam celebrata modis:
Jam celebrata meis, ſi quid mihi nominis uſquam eſt,
Jam celebrata tuis, jam celebrata ſuis.
Accedet Bacchus, ſimul & formoſus Apollo,
Ille comas Daphne vinctus, at ille hederâ.
O ego ſorte meâ contentus vivere poſſim!
O pereat Craſſus quidquid habebat opum!
O pereat fulvis quidquid Pactolus arenis
Ingerit, & quidquid fert Tagus amne ſuo!
Ah valeant faſces, faſtoſaque purpura Regum!
Et vincant magnos otia noſtra Duces!
Non ego prætulerim auratis laquearibus ædes
Ingenio tenui, carminibusque meis.
Namque mihi æternum nomen promiſit Apollo:
I nunc, Attalicas, improbe, confer opes.
Attamen & ſanctas conabor diſcere leges,
Hàc etiam potero quærere ad aſtra viam.
Non placet id certè, ut cupiam vexare clientes,
Patroni aut jubeam terga ſuperba ſequi.
Nec ſontes punire animus: ſunt mitia nobis
Pectora, damnandis non adhibenda reis.
Quorum ſi ſordes, ſi ſquallida menta videbo,
Sit pro carminibus, dicam, ea pœna ſatis.

Sed

Sed jussu Regis, cui non parere nefas est,
Romani cogor discere jura fori.
Scilicet ut rectum dignoscam, ut tuter honestum,
Justitiæ & moderer tempora pacis ope.
Maxima commoditas illa est; facundia sacras
Augebit leges quantulacunque mea est.
Palladis hoc Dominus celsâ prospexit ab arce,
Aurea cui servit divitis unda Tagi,
Cum Mauris qui bellà gerit, qui terret Atlanta,
Qui totum domuit classibus Oceanum.
Cujus Gangicolas nomen penetravit ad Indos,
Quem metuunt Arabes, Æthiopesque colunt.
Respexit nostras inter tot sceptra camœnas:
O placidum docti Principis ingenium!
Quo nemo meliùs venturi conscia novit
Sideraque, & motus, astriferosque polos.
Quid? quòd ad hæc studia impellit me Nonius ille,
De quo sum solitus multa referre tibi:
Ille domûs nostræ columen, quo sospite læti
Vivimus, & nostræ est aura secunda rati.
Proximus est nobis consanguinitate, meusque
Huius gaudebat matre sorore pater.
Sæpe reluctatus scripsi, ne ducere vellet
Ad rabiem vates, ad strepitumque fori;
Sæpe reluctatum primùm parere coegit,
Nunc non inuitum sub juga mittit equum.
Et qui vix stimulis multis, multisque movebar
Verberibus, celerem prata vorare putes.

Epita-

Digitized by Google

Epitaphium.

EPIGRAMMA

LII.

OSſa ſub hoc tumulo morbo collapſa reliquit
Annibal: heu juvenis quam citò raptus obit!
Succubuit virtus alacri ſpectata Gradivo,
Cambia nequicquam eſt oblita gens lachrymis.
Mors ridet fletus, plauditque ſuperba triumphis
Ipſa ſuis: homines non facit illa pili.

Ad Zachariam Contarenum Equitem.

EPIGRAMMA

LIII.

NUper ut ingenti ſaltantia vidimus aulâ
Cum perſonatis ſidera bina viris,
Contarene, procul ſacro de pectore curas
Rejice, mens fuerat dicere, & obticui.
Exhilarare ſatis te millia poſſe putavi
Pocula, Dardaniâ pocula fuſa manu.
Nil titubare mero viſus, carcheſia certè
Diluis Aoniâ Bacchica cautus aquâ.
Sobria mens vigilat ſemper, ſemperque volutat,
Quæ cuncti alato digna Leone putent.
Eia age, da requiem feſſo, poſt otia maior
Intermiſſa parum miles in arma furit.

Ad

Ad Renaldum Sylveſtrum Rhodiginum.

EPIGRAMMA LIV.

SYlveſter, brevibus damus lituris
Noſtros verſiculos tibi legendos,
Quos nobis pede ſi cito remittes,
Te viſent alii gradu citato,
Ad ſilvam properant nimis libenter:
In ſilvis habitant novem Sorores,
Gaudet molliculis Diana ſilvis,
Te dulces recreant, Apollo, ſilvæ,
In ſilvis meliùs canunt poetæ,
Silvæ denique ſi placent virentes,
Cultis verſiculis, parentibuſque,
Præſta verſiculis, parentibuſque
Sylveſter, rogo, quem potes favorem.

Ad

De Cæsare Mauro.

EPIGRAMMA LV.

QUis docet hîc? Cæsar: Cæsar doctissimus ille,
Quo vivo, vivit sermo Latinus? is est.

De Ludovico Maria Sfortia.

EPIGRAMMA LVI.

FAllaces hominum curæ, fallacia Regum
Consilia, ò stolidos, pectora cæca, duces!
Quid juvat humano galeas fœdare cruore?
Altaque sublimi sceptra tenere manu?
Insubrum princeps (pudet heu meminisse)! ligatur,
Prædaque fit Senonum captus opima ducis.
Qui mare, qui terras, superosque ciebat in arma,
Captivo Gallis supplicat ecce genu.
Torpescunt hydræ, nullus jam sibilat anguis,
Jam nullas præfert lingua trisulca minas.
Maure, jaces; nec enim congestum profuit aurum,
Quin videas vinctas post tua terga manus.

Digitized by Google

Ad Benedictum Capuanum.

EPIGRAMMA LVII.

QUiſquis is eſt, credit mitti ſibi magna, puſilla
Te miſiſſe putas, arbiter ille malus,
Tu peior, quid enim invito dare munera pergis?
Si dare vis grato, da, Benedicte, mihi.

Epitaphium Annibalis Cambii.

EPIGRAMMA LVIII.

ANnibal hic tegitur: quiſnam Annibal? anne Latinos
Qui pene extremo contudit exitio?
Eſt alius, virtute idem, ni fata negaſſent
Nataleſque pares, imperiumque, & opes.

Ad Antonium Thebaldeum.

EPIGRAMMA LIX.

LAuram Phœbus amat, ſed ipſa Phœbum
Aſpernatur, amatque, quî fit iſtud?
Ut Daphne fugit, ut ſoror prope hæret:
Rem miram ſatis, Oedipoque dignam,
Antoni, odit, amatque Laura Phœbum.

Ad Poſthumum.

EPIGRAMMA LX.

SI colo te ſemper ſolum, præque omnibus unum,
Cur non reſpondes ipſe in amore mihi?
Eſt indigna tuo ſi noſtra Thalia favore,
Poſthume, non eſt cur me quoque deſpicias.
Utere conſilio noſtro, vel dic age apertè,
Hermice, non amo te, me vel amatus ama.

Digitized by Google

Ad Zachariam Contarenum Equitem.

EPIGRAMMA

LXI.

INcerto de fonte fluit vulgatus ubique
Error, ſed credi qualia multa ſolent:
Relligione viros cœlo, Superiſque dicatos
Non bene Caſtaliæ fila movere lyræ.
Mentiri hanc ſectam, bone Contarene, docerem,
Ni rerer meliùs cognita cuncta tibi.
Sæcula ne penitus veterum repetamus avorum,
Quæ loquimur faciunt tempora noſtra fidem.
Phœbeo verſus recinit Vincentius ore,
Et jungit terſis verba canora modis.
Præterea & numeris loquitur, pedibuſque ſolutus,
Certare ut magno cum Cicerone putes.
Quàm bene pro ſanctis pugnat virtutibus, & quàm
Acriter in mores fulminat ille malos.
Huic faveas opus eſt, hunc complectaris oportet,
Hic tibi Cœlicolas conciliare poteſt.
Juſta petet, nec enim poterit non poſcere juſta:
A juſtis cuivis poſcere juſta licet.

Digitized by Google

Ad Vincentium Theologum.

EPIGRAMMA LXII.

PRo re pauca loqui, Vincenti, præstitit: ipse
(Facta via est) multò tutior ibis, abi.

Ad Principes Christianos.

EPIGRAMMA LXIII.

DOrmitis ne, Duces, altùm Rhodanique, Tagique,
Et qui victricem flectitis Italiam?
Quod reliquum est, capiunt vastantes omnia Turcæ:
Prostrato Veneto cuncta Leone ruent.

De Effigie Hieronymi Cassii.

EPIGRAMMA LXIV.

CAssius hac duplex vivit sub imagine, & ipse est:
Da vocem, Pictor, cætera vultus habet.

Ad

Digitized by Google

Ad Herculem Ducem.

EPIGRAMMA.

LXV.

ITaliæ nutant urbes, furor undique ſævus
Ingruit, & tremulas quaſſat in aſtra faces.
Hinc pietas neglecta, fides hinc pulſa queruntur,
Quòd detur toto nullus in orbe locus.
Ad te confugiunt Divæ, tua numina poſcunt,
Quo ſperant iterum perdere monſtra duce.
Excipis, Alcide, profugas, melioraque templa
Interea, & cultus, donaque reſtituis.
Quo fit, ut ærumnæ Amphitryoniadæ Herculis omnes
Præ candore tui nominis intereant.

Ad Fanum Blanfeldum Germanum.

EPIGRAMMA

LXVI.

VEniſti Aonios hauſturus, Jane, liquores
E patria, in patriam cultior ut redeas.
Non contentus enim præclaro ſtemmate, tentas
Maiorum meritis addere & ipſe tua.
Eloquio ſuavi miſces civilia jura:
Hortenſî ut fias æmulus, & Maſurî.
Macte animo juvenis, ducibus quem maſcula virtus
Et ſuperis ipſis conciliare poteſt.

De

Digitized by Google

De Formica.

EPIGRAMMA LXVII.

PEr cornu formica bovis dum fortè vagatur,
Quidnam ageret, quidam quærit, aramus, ait.

Ad Apollinem.

EPIGRAMMA LXVIII.

INclyta Latonæ proles, quo præside, fatum
Venturum Clarii diſcutiunt Tripodes.
Aſpice, quanta tibi, Caſtello ſoſpite, laus ſit,
Et quantum medicâ ſit tibi ab arte decus.
Diceris Alcidæ fratris tutatus alumnum:
Non nihil eſt magnis poſſe placere Deis.
Ædituum Muſis, Mecœnatemque poetis,
Præſidiumque mihi hoc munere reſtituis.
Debebunt olim multi tibi, quos manus orco
Caſtelli medici ſanctior eripiet.
His tibi pro meritis mentemque, animumque dicamus:
Quam feriam, melior victima nulla mihi.

Digitized by Google

Distichon.

EPIGRAMMA

LXIX.

ALcides vicit, nostri periere labores:
Numina terreni sic voluere Dei.

Ad Æneam Equitem.

EPIGRAMMA

LXX.

QUæ sit forma tibi, placidi quæ gratia vultûs,
Ænea, quovis judice nosse potes.
Auroræ Cephalus, Veneri censeris Adonis,
Endymion Lunæ, Triptolemus Cereri,
Medeæ Æsonides, Helenæ Priameius hèros,
Hippolytus Phædræ, Phyllidi Demophoon.
Narcisso sub aquâ Narcissus, Phœbo Hiacynthus,
Crederis esse Jovi Phryx puer, Herculi Hylas.
Gonzagæ quid? amor, cùm te sine cassîde cernit,
Et Mavors, cùm te Pallas in arma vocat.

Ad Nicolaum Bendedeum.

EPIGRAMMA LXXI.

NOn fient inopes Muſæ mihi, namque parum hoc eſt:
Mendicæ fient, pallidulæque fame.
Herculis haud vitium eſt, vitium ſed temporis hujus,
Bendedee, hoc pretium carmina ferre ſolent.
Mutatur fatis tempus, mutabitur ipſe
Alcides, & ſic ſemper egenus ero.

De Verona.

EPIGRAMMA LXXII.

VEronam doctæ genitricem diligo Lauræ:
Chara mihi patrio non minùs illa ſolo.

Ad

Ad Seraphinum Facobellum.

EPIGRAMMA

LXXIII.

EGregio genitore ſatus, Seraphine, teneris
Nil niſi te dignum concipere, & facere.
Naturæ meritò debes perſolvere grates
Ingentes, facilem quæ tibi ſe exhibuit.
Hoc facies, juſtum quoties imitabere patrem
Relligione, fide, moribus, eloquio.
Ora eadem tibi ſunt, eadem ſint cætera; nam ſic
Undique diceris jure referre patrem.

De Thebaldo.

EPIGRAMMA

LXXIV.

GAudete ò numeri, ò mei libelli:
Meos verſiculos, meaſque nugas
Enarrat, relegit, probatque, & auget,
Contendens mea comparare priſcis,
Muſarum decus, atque honor Thebaldus.
Quod vix crediderim mihi trecentos
Annos gloriolæ levis daturos:
Totum mi dedit hoc Thebaldus, ille,

Ille

Ille, inquam, dedit hoc mihi Thebaldus,
Cujus consilio bono, & salubri
Hercules Latias tuetur oras,
Et viri taciturnitate fretus,
Et sincero animo, & fide probatâ,
Qua nil purius est, nitentiusve,
Gaudete, ò numeri, ò mei libelli.

Ad Nicolaum Bendedeum.

EPIGRAMMA LXXV.

SIc tibi, Bendedee, omnipotens pia vota secundet
Juppiter, Alciden sic tibi concilies.
Respice jactatas turbato gurgite Musas,
Quam potes heu miseris casibus affer opem.
An sacri esurient unquam te antistite vates?
Dicetur ne tuo pulsa Thalia lare?
Nec fidibus tu surdus eris, nec carmina nostra
Non poterunt animum demeruisse tuum.
Saxa chelys traxit, pressit delphinas Arion,
Creditur & manes sollicitasse Lyra.
Non ego Threicius citharæ, nec Lesbius autor,
Vix malè compactis Marsia Harundinibus.
Ut te commoveam, haud opus est conamine tanto,
Qui mutis etiam posse favere cupis.

Digitized by Google

Ad Fabianum Cavianum.

EPIGRAMMA LXXVI.

STroza Titus, Fabiane, ſuum producere nomen
Poſſe putat, quamvis corripiant alii.
Huic ego gratificor nonnunquam: diximus hoc, ne
Ire putes claudo carmina noſtra pede.

Ad Benedictum Barbatiam.

EPIGRAMMA LXXVII.

AScribunt quidam heroum ſibi nomina, cùm ſint
Therſitæ viles cætera, & Antinoi.
Nanus Atlas quoque nomen habet, Barbatia: quorſum hæc?
Dicant hæc Curii, Fabriciique tibi.
Dicat & Alcides minitatus fortiter uni
Undique ſtipatus mille ſatellitibus.

De Hercule Duce.

EPIGRAMMA LXXVIII.

VIncitur Alcides noſter, vincitque: quid hoc eſt?
Credideram invictos protinus eſſe Deos.
Hoſtiles vincit acies interritus ipſe:
Supplice nonnunquam vincitur ille prece.

Apotheoſis Marulli.

EPIGRAMMA LXXIX.

HIc magnus colitur Marullus, ille,
Ille, inquam, pater elegantiarum,
Quem Mars, quemque Minerva, quemque Amores
Certatim ſimul uſque, & uſque amabant
Invictum toties, bonumque vatem,
Fumantique face aridum ſub amnem
Mittunt Naiades, hunc puellæ adorant
Regem fluminis, invocantque votis.
Hunc ipſum indigetem volunt coloni
Jam dici, eſtque piaculum, Marullum
Si quis nominitet, Deus, Deus jam eſt.
En lucent mediis favillæ in undis,
En circum volitant loca hæc Amores:

En

En ſacram celebrat Minerva ſedem.
En hoc Strymona damnat amne Mavors.
Hunc pro Apolline jam poetæ honorant,
Gradivumque ſuum vocant cohortes,
Hunc & caſta timet Deum Neæra
Gerentem pharetramque, & arma Amoris.
Ferte munera, amans, poeta, miles.
Sed quæ munera, amans, poeta, miles?
Ferte carmina, lachrymaſque, & arma.
His pro muneribus dabit Camœnas
Amanti faciles, dabit poetis,
Sacræ militibuſque ſerta laurûs.

In Balbum.

EPIGRAMMA

LXXX.

INfelix, Balbe, infelix ò terque quaterque,
Cui ſit vel ſaxo durius ingenium.
Ut bene quis dicat ſtudioque, & mente laborat:
Nitaris peiùs dicere, non poteris.

Digitized by Google

Ad Ludovicum Cayado Archidiaconum.

EPIGRAMMA

LXXXI.

SI pietas, ſi priſca fides coleretur, & eſſet
In pretio virtus, ſanctaque relligio:
Conſpicuus meliore loco, Ludovice, ſederes,
Fulgeretque apice frons tua purpureo.
Et te paſtorem peteret ſibi ovile Tonantis,
Et nulli errarent per tua rura lupi.
Aurea ſed fulvo ſplenderent ſæcla metallo,
Æternumque ſcelus exilium lueret.
Sed quia non meritos tantùm ſors tollit in altum,
Et fortuna vices fertque, refertque ſuas,
Vive boni ſolum decus, & nova gloria fratris,
Vive diu noſtri præſidium generis.
Sit ſatis & patriâ locus haud poſtremus in urbe,
Sit ſatis & meritis deeſſe tuis aliquid.

De

De Marte, & Emmanuele Rege.

EPIGRAMMA LXXXII.

VIderat in Mauros Gradivus bella parari,
Atque opus auxiliis credidit eſſe ſuis.
Obtulit arma duci, Myconeſque, Geraſque furentes
Duxit ad Heſperiam, qua patet uſque, plagam.
Aſſertumque Jovem jactat, ſuſoſque Gygantas,
Pollicitus Mauros perdere ſtrage pari.
Cui Luſitanus Rex: non deſunt mihi vires,
Et noſtrâ veniunt fulmina torta manu.
Nomine vel ſolo ſævum contundimus hoſtem,
Abſentes etiam caſtra inimica timent.
Si bello me fata volent concurrere Mauris,
Officio fungar militis, atque ducis.
Eripe ſervitio Sparten, pulchramque Corynthon,
Quæque meæ partes linque, Gradive, mihi.
Eſt vero tua fama minor, Mars inquit, abitque
Fortunâ attonitus Principis, atque animo.

Digitized by Google

Ad Fanum Caſtelbrancum Luſitanum.

EPIGRAMMA LXXXIII.

HActenus ingenium coluiſti, Jane, redibis
Doctrinâ in patriam cultus, & eloquio.
Audes præterea pulchris te oſtendere in armis:
Quid tibi vis dicam? tota Minerva tua eſt.
I decus, i patriæ ſpecimen, pede pergito dextro,
Ominibuſque bonis, auſpiciiſque bonis.
Tyndaridæ navem ducant, ut ſydere certo
Pervenias ſoſpes littus ad Oceani,
Rex ubi ſublimi populos ex arce gubernat,
Quem dominum Solis utraque meta colit.
Is tibi munificâ perſolvet præmia dextrâ:
Namque poteſt Crœſo, divitiorque Myda.

Digitized by Google

Ad Cataldum Pariſium Siculum.

EPIGRAMMA LXXXIV.

OTia ſiqua tibi fuerint, ſi quando vacabit,
Verſiculos noſtros, docte Catalde, leges.
Verſiculos, è fonte tuo quos hauſimus, & quos
Dictare haud dubiè viſus es ipſe mihi.
Formaſti ingenium primus, primuſque per altos
Duxiſti lucos, antraque Pieridum.
A te principium Muſæ, tibi noſtra Thalia
Supplicat, & ſe vult te genitore ſatam.
Mirari noli, ſi degeneravimus uſquam,
Nam liquido interdum manat ab amne lutum.

Ad Janum Romeum Barbatiam.

EPIGRAMMA LXXXV.

EGregio patri dederis quòd, Jane, neporem,
Gratulor, Andreas vivit in orbe duplex.
Scilicet Andreas tuus, & qui nomine noto
Implevit terras, Cælicolûmque domos.
Digna nepos conetur avo, Barbatia ut alter
Vivat apud manes, alter apud Superos.

Digitized by Google

Ad Nicolaum Panizatum.

EPIGRAMMA LXXXVI.

PAnizate, tuos verſus candore perenni
Conſpicuos legi terque, quaterque lubens.
Nil niſi decoctum, & ſacris de fontibus hauſtum eſt:
Nil niſi quod malit Cynthius eſſe ſuum.
Ingeniumque ferax laudo, venamque fluentem,
Diviteque incluſas pectore miror opes.
En diverſa placet (fateor) ſententia nobis:
Sed quid ſi ſemper purior unda fluat?
Quis triſtes unquam nebulas, diramque mephytim
Præferat Eurotæ, virgineoque lacu?
Quid tibi cum duris cornis, cùm carpere poſſis
Hinc atque hinc facili mitia poma manu?
Trade lutum ſuibus, raniſque loquacibus ulvas:
Mi placeant fontes, purpureæque roſæ.
Eſſe nihil dices ex omni parte beatum:
Hoc eſt, hoc illud, quod miſeros cruciat.

Digitized by Google

Ad Fanum Lucam.

EPIGRAMMA LXXXVII.

MIraris forſan quòd ſim vigilantior æquo,
Sollicitem & miris teque, tuoſque modis.
Non ego, Jane, tibi diffido, ſed urgeor uſque,
Cùm videam curâ te graviore premi.
Alcides ſiquidem, te uno comitante, labores
Suſtinet, auxilio fultus & ipſe tuo eſt.
Pondere Atlanta ſuo poſitâ cervice levavit
Amphitryoniades, non renuente Jove.
Herculis interdum vice fungeris: ille ſopore
Irriguus placido, te vigilante, jacet.
O juvet, ò libeat fidi meminiſſe clientis,
Cui tu, dum fuerit vita, patronus cris.

Ad Antonium Galeacem Bentivolum.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

MAiorum venerandus adeſt de nomine dictus
Menſis, & illa dies pulſat amica fores,
Qua mihi conceſſum plebis laudare Tribunos,
Claraque Bentivoli dicere geſta ducis.

Digitized by Google

Eia age (ſiquis amor) Galeax per aperta quadrigas
Ad metam noſtras quæſo venire ſinas.
Fræna ferox jam mandit equus volitare paratus:
Eſt quadrupes nunc, da claſſica, ventus erit.

Ad Martinum Figueretum.

EPIGRAMMA LXXXIX.

THecam me vocitas Apollinarem:
O dictum lepidum, facetulumque!
Quod ſi verum adeo eſſet, ut venuſtum eſt,
Te, Martine, ut Apollinem ipſum amarem.

De Laurâ.

EPIGRAMMA XC.

PYthonis diri genitus de ſanguine ſerpens
Lauretum ſævis morſibus enecuit.
Scilicet eſſe nemus Phœbi non inſcius, à quo
Extinctus memori clade jaceret avus.
En arbuſta comas ponunt infecta virentes,
Nullus & in toto robore ſuccus ineſt.
Adventu Lauræ ſubito revireſcere ſilva
Incipit: hoc Lauræ munus Apollo dedit.

In

In Gargilianum.

EPIGRAMMA XCI.

CUr tibi naturam jactas utrumque dediſſe,
Quæ neutrum dederit, Gargiliane, ſtilum?
Cum neutrum poſſis, utrumque videris adeptus:
Difficile, & facile ſcribere nullius eſt.

Liber Loquitur.

EPIGRAMMA XCII.

ESſe brevis videor? primum conjunge ſecundo:
Quid juvat eſſe unum? quid juvat eſſe duos?
Nec creſcunt, nec decreſcunt ſic, nam totidem ſunt
Sive unum malis, carmina, ſive duos.

Digitized by Google

Ad Lucam Ripam.

EPIGRAMMA XCIII.

Si quis naufragium Neptuni fecit in undis,
Æquoreis ſolvat debita vota Deis.
Hic verò Eridani jactatus vortice multo
Ad Ripam timido vix natat ecce pede.
Ripa, tuo gremio laceram complectere puppim:
Acceptum hoc referet picta tabella tibi.

Ad Herculem Ducem.

EPIGRAMMA XCIV.

Neſcio quo fato, Alcide clariſſime, donas
Huic, illi, queritur ille, vel ille tamen.
Digna tuis aliquando manent te præmia factis:
Hæc poſſunt Superi reddere, non homines.

Digitized by Google

Ad Gometium Lusitanum Theologum.

EPIGRAMMA XCV.

COmmuni grator patriæ, quæ te quoque alumnum
Inter delitias gaudet habere suas.
Gramina dum terræ fuerint, dum sydera cœlo,
Per te tolletur noster ad astra Tagus.
Tu rerum causas nosti, tu mystica sacra,
Quæque sub obscurâ nube latere solent.
Occuluit natura nihil tibi, tu potes ipsos
Sublimi haud dubiè scandere mente polos.
Quid sanctos referam mores? vitamque probatam?
Quid linguæ referam plectra Latina tuæ?
Nil mortale sapis, divinas cuncta, Gometi:
Dicere te possent barbara sæcla Deum.

Ad Bartholomæum Blanchinum.

EPIGRAMMA XCVI.

ALvarus est genitor, genitrix est Anna, parentum
Gloria nec decori est, nec mihi dedecori.
Dicere at illa tamen nullis non testibus ausim:
Pro patriâ gessit fortia bella pater.
Auspiciis, ductuque suo, terràque, marique,
Invictâ statuit mille trophæa manu.

De

De proavis, ataviſque nihil tibi dicere poſſum:
Non hîc mentiri pagina noſtra cupit.
Fungier officio grati, Blanchine, nepotis
Me longo prohibent obſita ſæcla ſitu.
Felix, cui licet eſſe pio: memoranda tuorum
Tu potes altiloquo ſcribere geſta ſtilo.
Non deeſt ingenium, non deeſt facundia, ſunt res,
Quæ lucem poſſint accipere, atque dare.
Hoc munus ſuperat Lunenſia ſaxa, meorum
Præberem has potius manibus inferias.
Perpetuum nihil eſt: durat tamen hoc magis illud,
Hoc vix autumnum, aſt illud olympiadas.

Ad Herculem Ducem.

EPIGRAMMA XCVII.

MUnera pro meritis cujusque daturus abiſti,
Cenſurâ ut poſſes liberiore agere.
Neve locum precibus ſineres, qui publica tractat
Affectu vacuum protinus eſſe decet.
Hinc ſperare mihi video, Dux magne, negatum,
Scilicet indigno, qui tua ſceptra geram.
Sed tu numen habes, te conſule, tu tibi Apollo es:
Contentus diſcam vivere ſorte meâ.
Hæc ego ſollicito mecum dum corde voluto,
Audio, neſcio quem dicere: victor eris.

De

De Thebaldo.

EPIGRAMMA XCVIII.

OMe felicem bis, terque, quaterque, Thebaldus
Interpres noſtri carminis eſſe ſolet.
Mille meum quamvis duret per ſæcula nomen,
Grandius hoc poterit nil dare poſteritas.
Quanta mihi æthereas carpenti contigit auras:
Poſt tumulum nulli gloria tanta fuit.
Pro meritis Erycina viro det pulchra juventam
Perpetuam, ut perſtet, qui bene cœpit, amor.
Hoc ſuper à magno Alcide ſic ſemper ametur,
Invidia ut poſſit torva nocere nihil.

Epitaphium Seraphini.

EPIGRAMMA XCIX.

SParge roſas, quicumque venis, Seraphinus in urnâ eſt,
Ille, inquam, de quo qui magis, ille minus.
Unde ſonus tumulo? recinunt hîc carmina Manes,
Saxaque cum ſilvis huc properare ſolent.
Quid tellus læta eſt? quid rident hæc loca? nempe
Cum matre ipſâ hîc eſt ipſe ſepultus Amor.

Anne

Anne obeunt Superi? cinereſque, & fabula fiunt,
Et tenues Umbræ non ſecus, ac homines?
Non: ſed relliquias ſervant cultoris humati:
Sentio quæ loqueris, ſaucius hinc abeo.

Ad Paulinum.

EPIGRAMMA C.

NIl Pauline mori timeo: ſum pauper: obibo
Quamprimum, ſed quo tempore dives ero.
Tithoni vives, inquis, vel Neſtoris annos:
Eſto ita: ſis locuples, dum moriare hodie.

Epitaphium Codri Urcei.

EPIGRAMMA CI.

SIſte viator, & hæc carmina pauca lege:
Conditus hîc Codrus notus ubique jacet,
Illius Aonides conticuere obitu,
Mutaque jamdudum lingua Latina ſilet:
Argolicique ſales in patriam redeunt:
Heu nuſquam eſt doctas cernere Pierides!
Interiere heu heu dulcia verba Remi!
Non audire jocos ulterius dabitur.

O ſor-

Digitized by Google

O' ſortem duram, ò aſpera fata hominum,
Naſcimur heu vix, & jam morimur miſeri!
Purpureis ſacrum ſparge roſis tumulum:
Quid juvat has lachrymas fundere? vivit, abi.

De Gargiliano.

EPIGRAMMA CII.

ASpicit obliquo me lumine Gargilianus:
Invidia eſt, torvum, quæ facit eſſe mihi.

Ad Fanum Caballetum Bononienſem.

EPIGRAMMA CIII.

SCulptura Phydias, fidibus celebratur Arion:
Pictura Zeuſis: carmine Meonides.
Sculptura, fidibus, pictura, carmine polles:
Qua valeas dubium eſt arte, Caballe, magis.
Quod vix tam multis, uni tibi contigit, unus
Naturam, & te ipſum protinus exuperas.

Digitized by Google

Ad Benedictum Hectorem Bononienſem Bibliopolam.

EPIGRAMMA CIV.

QUi vult ad ſeros ſua ſcripta venire nepotes:
Venales libros det Benedicte tibi.
Tu facis ut doctis niteant dictata figuris:
Tam bene componit ſedula dextra notas.
Eſt tibi Mercurius facilis, faciliſque Minerva:
Eſt par ingenium, divitiæque pares.
Nil ſcombros, nil thura timent ſecura: nec unquam
Rugoſum metuent carmina noſtra piper.

Ad Bartholomæum Blanchinum.

EPIGRAMMA CV.

NOn bene vinoſi ſcribunt, Blanchine, poetæ:
Abſtemii melius, cur ita? cauſa ſubeſt.
Dolia non celebrant muſæ, ſed ſtagna, ſed undas
Et natat in vitreo gurgite Calliope.

Ad

Digitized by Google

Ad Philippum Beroaldum Juniorem.

EPIGRAMMA CVI.

AEdere me fatuos populo, Beroalde, libellos
Vult inconsultus posteritatis amor.
Scilicet omnibus hic amor est; ea sola voluptas
Tanti adeo cineres, & titulos facimus.
Sed mihi quam famam parient mala carmina? malo
Quam nihil esse, esse mævius, aut Bavius.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMMANUEL
DA COSTA,

Jure Conſultus Ulyſſiponenſis.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA EMMANUELIS DA COSTA,

Juris Consulti Ulyssiponensis.

MMANUEL da Costa, Lusitanus, à mentis, quo pollebat acumine Subtilis nuncupatus, apud nonnullos Calipole; suo tamen ipsius testimonio Ulyssipone fuit in lúcem editus. Quo anno, quibusve parentibus non constat inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt. Ineunte adolescentiâ, studiorum causâ Salmanticam venit, ubi sub egregio viro Martino Aspilcueta Navarro

Digitized by Google

Navarro Cæsarei Juris disciplinâ longè proficiens, Bachalauri gradum adeptus est. Interea, qui per decennium Salmanticæ commoratus fuerat, de translatione Academiæ in Conimbricam certior factus, in eam convolavit, laureâque Doctoris insignitus, Codicis Lector renunciatus est; deinde Digesti Veteris; tandemque Primæ Juris Legalis Cathedræ moderator constitutus, paucis post annis, ut emeritus, rude est donatus.

Per id tempus è vivis decesserat qui Salmanticæ Juri Cæsareo docendo prima diei hora, hoc est, digniori loco impositus fuerat, eoque nuntio accepto, statim Costa Salmanticæ iter arripuit, ut inter vacui loci competitores suum etiam nomen profiteretur. Contigit verò ut trium tantùm horarum spatium accedenti superserit de Jure ex Cathedra dicturo; neque tamen id obfuit, quominus auditorum Coronam in stuporem converteret. Porrò cùm Arii Pinelli (utique Lusitani, ac si Costam demas, nulli secundi) bene multi partes sequerentur, factum est, ut animo despondere cæperint, Costam illi antellatum fore haud immerito inaugurantes; eaque propter obstrepentes, dicentem interturbare conati sunt. Nihilo tamen Costa mussantium, ac strepentium rumoribus turbatus, fertur, utrâque quassâ manu, elatâque voce, in hæc prorupisse verba: scilicet: Audite, audite, alium enim Papinianum auditis. *His vocibus, ac si omnium obstruerentur ora, nullus fuit è quamplurimis, qui intererant, cujus attentionem non promeruerit, benevolentiam non comparaverit, acclamationem non extorserit. Ea visa est hominis gravitas, juditii maturitas, vocum proprietas, juriumque ex tempore ubertas, ut instar Oraculi exinde habitus, ac reveritus meritò illi palma fuerit adjudicata.*

Ne

Ne tamen Pinellum, præstantissimum quoque virum dimitterent non donatum, à Rectoribus Scholæ decretum est, ut tercentorum ducatorum stipendio in ea Juris Civilis professione retineretur; quæ quidem res inopinanti venit, absque exemplo, nec antea, nec usque modo; brevi verò in Costæ demortui locum suffectus est; neque enim Costa diu vixit, postquam honoris Academici limitem attigit. Extremo laborantem morbo, ferunt, interroganti de eo, qui sibi successurum judicaret aptiorem, respondisse, Georgium da Costa, filium sibi superesse, Baldo aliquanto plus, seque aliquanto minus doctum, eumque suas partes optimè explere posse. Hunc, qui Matriti Advocatum egit, nullique sui temporis in dicendo concessit; alterumque ex Elisabetha Henriques uxore susceptos, similes sui post se reliquit filios. Fratrem habuit Michaelem da Costa, qui quidem mente omnium bonarum artium capacissima supra quam dici potest studiosissimus ad miraculum eruditus; Salmanticæque Vesperariam Sacrorum Canonum moderatus est Cathedram. Denique, urgente vi valetudinis supremum Costa Salmanticæ clausit diem, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto; ni, ut aliquibus placet, superiori. Vir fuit ingenio præditus excellentissimo, juditio acerrimo, memoria tenacissima, eloquentia ingenua. Debet illi Jurisprudentia, quòd eam operibus & utilibus, & plane necessariis illustraverit, Respublica litteraria, quòd soluta, ac ligata Oratione, maximè exornatam reddiderit; Patriaque, quòd æternùm gloriosam fecerit; tanto enim à filio decoratam, in honore haberi maximo necesse est. Ejus Operum Elenchum, hìc atteximus; solent namque litteratorum Opera, eorum esse laus potissima.

Digitized by Google

EMMANUELIS DA COSTA Operum Elenchus.

SElectarum Interpretationum circa conditiones, & demonſtrationes, & dies. Libri duo.

Ad L. Gallus §. Et quid ſi tantùm D. de liberis, & poſthumis Commentarius. Conimbricæ an. 1548.

Ad L. Cùm tale §. Si arbitratu D. de Conditionibus, & Demonſtrationibus Commentaria, ſive de indictæ viduitatis, aut nuptiarum arbitrio alieno contrahendarum conditione tollenda.

Ad L. Si ex cautione C. de non numerata pecunia, ſcilicet adverſus defendentem ſe hac exceptione probandum actori eſſe numeratam pecuniam. Seorſim Conimbricæ an. 1549.

De Quæſtione patrui, & nepotis in cauſa ſucceſſionis. *Quæ triplex eſt tractatio*, Prima circa majoratum, ſeu ſucceſſionem bonorum Regiæ Coronæ; Secunda circa majoratum bonorum patrimonialium. Tertia de Regni ſucceſſione.

Ad C. Si pater de Teſtamentis lib. 4. Decretalium *Philippo II. Regi Hiſpaniarum nuncupatus*. Seorſim Salmanticæ an. 1569.

Ad

Digitized by Google

Ad ℈. Cùm libello L. Qui duos D. de rebus dubiis.

De ſuo, & alieno poſthumo Commentaria in ℈. Poſthumus, Inſtitut. de legat. *unàque* in difficilem L. Si filius hæres D. de liberis, & poſthumis Scholia.

Oratio Funebris in Exequiis Sereniſſimi Portugalliæ Regis Joannis III. ex Academiæ Conimbricenſis inſtituto, anno ſalutis 1557. habita.

De felici in Ulyſſiponem adventu Sereniſſimæ Joannæ, Caroli Imperatoris filiæ, in ſolemni die nuptiarum ejus cum Joanne Luſitaniæ Principe.

De Nuptiis Sereniſſimorum Eduardi Portugalliæ Infantis, & Iſabellæ Excellentiſſimi Theodoſii Brigantiæ Principis germanæ. *Omnia edita ſunt Salmanticæ, in ædibus Alphonſi à Terra nova duobus tomis 1582. in folio.*

In Bibliotheca Olivarienſi fuit quidam Codex inſcriptus *Emmanuel. Coſtæ ſuper Digeſtum, & Codicem Commentaria.* Qui an ineditum hucuſque aliquid continuerit, affirmare nequeo.

AU.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUTHORUM DE EMMANUELE DA COSTA

Teſtimonia.

Joannes Garcia ejus diſcipulus in Tractatu de Expenſis cap. 6.

EUm virum amavimus, & mortuum colimus, quem diſputantem, & publicè, & privatè ſæpe audivimus; me enim ille valdè amavit, elegans, facundus, acutus, in ſuadendo vehemens, in interpretatione ſuavis, in referendo verus, in evertendo nervoſus, in inſtituendo omnium, qui ante eum inſtituerunt, & Jus interpretati ſunt, verè princeps. Cujus animam pro ea, quam Salmanticam attulit legum, & Juris cognitionem homo inculpatæ vitæ, & moris probatiſſimi confidimus D. O. M. æterna requie, & beatitudine donaſſe. Obiit ille ſanctiſſimè, innocens vitæ, ſceleriſque purus, in ſummo totius Hiſpaniæ mærore; nam Salmanticæ nullus fuit, qui

Digitized by Google

cum Emmanuele Coſta non exiſtimaret ſubreptum quoque nobis Jus fuiſſe.

Covarrubias Practicarum cap. 39.

VIr in Juris utriuſque diſciplina accerrimi judicii, ac diligentiæ non vulgaris.

Alibique:

Vir plane doctiſſimus.

Emmanuel Soares de Ribera in Additionibus ad Gomeſii Varia.

ELegantis doctrinæ, & ſummi, atque inclyti ingenii vir, acutiſſimuſque, & doctiſſimus Juris enarrator.

Joannes Ferdinandes Rhetorices Lector in Oratione Conimbricæ habita in adventu Sereniſſimi Infantis Domni Ludovici. an. 1548. *edita.*

SEquitur Coſtenſis Emmanuel Vir ad Jus Civile non minus, quàm ipſe natus Papinianus. Nam & Latini ſermonis proprietate, quæ in Juris Civilis Authoribus plurimum eminet, & ingenii acumine, quo non præſtantior alius, nihil eſt tam abſtruſum, & abditum, quod non feliciter depromat, depromptum illuſtret, illuſtratum ea facilitate diſcipulis tradat.

Pe-

Digitized by Google

Petrus Sancius in Epiſtol. in hoc volumine edita.

NEc te præteream tacitum, doctiſſime Coſta,
Atque tuum genium natum diſſolvere Juris
Cæſarei nodos; cui primas jure cathedras
Munda dedit, Tormiſque dedit, bene notus uterque,
Et fluvios inter Phæbo gratiſſimus amnis:
Tu, dum regales menſas, thalamoſque Duardi
Carpathiumque Senem, nanteſque ad littora Phocas,
Ludenteſque canis ſpumoſo in gurgite Nymphas,
Ornatu, & poſitu magnis te Vatibus addis.

P. Antonius dos Reys in Enthuſiaſmo Epigrammatum tom. 1. præfixo.

ERegione Dei ſublimi in ſede locatus
Jura dabat Muſis doctiſſimus ille Magiſter
Coſtius: ex humeris talos deſcendit ad imos
Clavus, it in ſertum circum caput apta Poetis
Frons hederæ viridis, nigris onerata corymbis.

THEO-

Digitized by Google

Digitized by Google

THEODOSIO
DUCI BRIGANTIÆ
EMMANUEL DA COSTA
Ulyſſiponenſis
S.

CUM proximis menſibus, quibus Academiæ noſtræ more à publicis lectionibus feriabamur, Illuſtriſſime Princeps, inter nonnulla verſibus à me olim compoſita, libellum de Nuptiis Eduardi Principis, & Clariſſimæ Sororis tuæ Iſabellæ inveniſſem, eumque rudem, atque interruptum quaſi extraneus lector, nempe poſt xv. annos perlegiſſem: dolui, me in eâ ætate, in qua veniæ paratus erat favor, non perfeciſſe quod homo jam quadragenarius, legum veteranus profeſſor, ac pleriſque in Jus Civile editis commentariis notus Jureconſultus, abſolvere pro dignitate non poteram. Sed quoniam earum Nuptiarum author ipſe extiteras, & in his triumphalem illam pompam ludorum & ſpectaculorum exhibueras incredibilibus ſumptibus, quibus memoria noſtra ſplendidius nihil vidit: meque in ære tuo eſſe agnoſcerem, quod Auguſtiſſima Brigantia familia, cujus principatum meritò tenes, parentes quondam meos addictiſſimos clientulos habuerit: putavi, meæ erga te

pietati haud aliter satisfacturum, quàm si insertis quoquè tui generis primordiis, quæ cum Lusitaniæ Regibus communia habes, inchoato operi extremam manum admoverem. Quocirca tentavi cum tetricis Musis in gratiam redire, easque speravi, Parnassum mihi, ac fontes suos tui potissimum contemplatione reclusuras, quem videlicet eo nomine charissimum habeant, quòd inter cæteras animi dotes, quibus laudatissimos quosque Principes antecellis, aut certè æquas, summam etiam humanitatem, ac munificentiam in eruditos eruditus adjunxeris. Opusculum itaque velut ad incudem revocans, quantâ potui ingenii contentione laboravi, ne aliquid indignum tuo nomine, aut meâ existimatione publicarem. Nec timui, si elegantioris palati, vel gravioris supercilii hominibus opera hæc nostra displiceret: quòd Jureconsultus poeta esse aut non possit, aut non debeat. Nam memini, Modestinum & priscos alios Jureconsultos, quorum veterem, & bene fundatam juris peritiam imitari in libris meis soleo, carminibus quoque non infeliciter vacavisse. Accessit præterea, quòd Joannis Regis jam feliciter designati præceptor Antonius Pinarius, vir in omni literarum genere doctissimus, ac Lusitani ingenii rarum specimen, carmen hoc apud Serenissimum nostrum Regem non solùm comprobavit, sed & non vulgari laude dignum esse judicavit. Accipe igitur, Humanissime Princeps, hilari fronte clientis tui libellum, parvum illum quidem, sed non tam versuum numero, quàm rerum, & sententiarum pondere æstimandum, eoque proposito elaboratum tibi, ac dicatum, ut Entelli Virgiliani exemplo hîc versus, artemque reponam. Vale.

EMMA-

Digitized by Google

EMMANUELIS DA COSTA

De Nuptiis

EDUARDI ET ISABELLÆ,

CARMEN.

Egia progenies Eduardus cœperat Heros
Jam longas malè ferre moras, jã tarda vocare
Pacta, Cupidineo transfixus pectora telo.
Cùmque novo incensus primùm flagraret amore,
Multa querebatur secum: nec carpere somnos
Nocte, nec urentes poterat componere curas.

Non

Non illum lato in campo juvat unguibus acrem
Solvere avem prædæ volucri, prædàque potitam
Ad notas revocare manus: non per juga montis,
Antè ut erat ſolitus, curſu, ſtimuliſque fatigat
Sudantem venator equum: mens ægra fovetur
Sperando interea, vultuſque referre laborat
Ignotos oculis; nam primum incenderat ignem
Fama volans, totum latè quæ ſparſa per orbem,
Eſſe prope Oceani fines, ubi Phæbus equorum
Solvit colla jugo, Regum de ſtirpe canebat
Sydeream Juvenem, cui gloria magna Jametem
Eſſet habere patrem, qui ſolo vicerat Afros
Nomine, & attonitas abſens tremefecerat urbes:
Cujus in adventu Zamor inclinata patentes
Obtulerat portas, non auſa videre tremendi
Signa infeſta Ducis: ſimilem quæ denique Fratrem,
Inſignem pace, atque armis ſortita fuiſſet
Theudoſium, ante alios ditione, opibuſque potentem.
Ergo Eduardæos blandè miſerata dolores
Alma Venus, cupienſque ſuo dare nomen Aprili
Æternum thalamis, nato ſociata volucri
Ante Jovem ſtetit, & roſeo ſic ore loquuta eſt:
O Pater, ò Divûm, atque hominum Rex optime, cujus
Ad nutum triplices diſpenſant vellera Parcæ,
Scis juvenem Lyſiis Eduardum è Regibus ortum,
Quem Rex Emmanuel, poſtquam penetravit ad Indos
Claſſibus, ac regno occiduo ſubmiſit Eoum,
Jam ſenior genuit, minimumque ætate reliquit
Raptus ad Elyſios campos, ſedesque piorum.
Hunc ego Reginæ Mariæ de ventre cadentem
Suſtuli,

Digitized by Google

Suſtuli, & Idaliæ mecum fovere Sorores.
Poſt vero innuptâ quoniam cum Pallade Divæ
Aonides puerum mihi ſubtraxere volentem:
Ipſa manum injeci, meaque illum ad jura retraxi
Nomine Cognatæ captum: ſic ferre coactus
Dulce jugum, pactos miſerè ſuſpirat amores:
Et quæ cauſa thoros, ſperataque gaudia tardet
Neſcius, heu! levibus ſpargit vota irrita ventis:
Per me nulla mora eſt: vereor ne forte Deorum
Invidus his quiſquam thalamis obſiſtere tentet.
Rumpe moram, omnipotens Genitor, da jungere dextris
Legitimum fœdus, non hoc de plebe Dearum,
Sed tua te Cytheræa rogat, ſævuſque Cupido,
Noſtrum fraterno affectu miſeratus alumnum,
Qui, niſi concedas, vindex aut cornua Tauri,
Aut Danaes pluviam, Lædæivè altera Cygni
Colla, ſed & varios in te meditabitur ignes.
Dixit, & hîc lepido diduxerat oſcula riſu.
Juppiter huic contra placidus: Cytherea, quod ambo
Optatis, dabitur: cedet, ſiquis Deus antè
Reſtitit his tædis, quarum ſe attollet honore
Aprilis tuus, æterno memorabilis ævo.
Idque olim & Parcæ volvunt, & deſtinat ille
Joannes Rex Lyſiadum, quem fata ſequuntur.
Et quoniam pius hoc votis petit omnibus unum
Theudoſius Sponſæ Frater: placet illius ergo,
Ut Superi feſtos unà celebrent Hymenæos,
Quos curare tuum eſt: Pueri violenta ferocis
In me tela vacent: Iſabellæ virginis urant
Pectus, ut immenſo Sponſi teneatur amore.

Hæc

Hæc ille. Extemplo proprias Cytheræa reviſit
Cum nato pariter ſedes, ubi tertius orbis
Volvitur, ac læto fœcundat ſydere mundum.
Et curru terras procul inviſura jacentes,
Principio ardentem radiato murice veſtem
Induitur, Divæ unigenæ mirabile donum:
Tum Ceſton rutilantem, ac blando numine plenum
Nectit, quo pelagi inſani mulcere procellas,
Et cohibere queat torrentia flumina ripis,
Poſſit & irato dirum excuſſiſſe Tonanti
Fulmen, & in mediâ Mavortem ſiſtere pugnâ.
Mox Charitum arbitrio comit formoſiùs ornans
Auricomum caput, & quoſdam per tempora crines
Diffundens, luſum Zephyris, igneſque marito.
Poſtquàm ſe comptam, ſpeculo monſtrante, probavit,
Imperat alatis Pueris, ut protinus agmen
Cogant, & niveos revocent ad fræna jugales.
Nec mora, Vulcano ſudatum, auroque nitentem,
Et variis currum diſtinctum ex ordine gemmis
Præſentant, quo ſublimis ſuper æthera ferri
Diva ſolet, longo ſedet in temone Cupido
Aureus, & junctos gaudens moderatur olores.
Mulciber (ut fama eſt) cùm quondam arderet amore,
Ambiretque thoros Veneris, pede debilis uno
Vilior, & ſpretâ jam conditione repulſus,
Hos dominæ ſupplex, facilem ſi poſſet amanti
Reddere, donarat currus, ac munere tali
Divitias, doctæque manus prætenderat artem.
Illic ſyderei conceptam è ſanguine Cœli,
Inque Cytheriacis naſcentem expreſſerat undis.

Ipſa

Ipſa videbantur circum ſtupefacta ſilere
Æquora, & admixtæ cygnis per inane columbæ
Plaudere, ludentes juxtà delphinas in orbem
Fecerat, & procul attonitos in littore Faunos.
Ergo ubi ad inſtructum currum ſe Diva recepit,
Mercurii, Lunæque globos, igniſque ſequentem
Præterit, ac medium ſubvecta per aera terras
Prona petit, quà Lyſiadum gens inclyta bello,
Oceani domitrix ſeſe melioribus almæ
Exercet pacis ſtudiis ſub Rege benigno,
Aurea Joannes renovat qui ſæcula terris
Tertius, at nulli Regum virtute ſecundus.
Hinc molles Zephyri per florida rura vagantes
Altiùs aſſurgunt Veneri, pictoque cohortem
Pennatam nimbo excipiunt, & ſuavibus auris.
Eſt apud herboſos campos, quos perluit undis
Luſitanus Anas, caſtellum mœnibus albis
Conſpicuum: Villam lætam dixere coloni,
Quòd regio donis Cereris, flavæque Minervæ
Arboribus, necnon Bacchæo palmite felix
Perpetuos habeat flores, auraſque ſalubres,
Et liquidos fontes: hinc eſt mihi dulcis origo,
Hîc humiles, tenueſque mei vixere parentes.
Hanc ſibi dilectam ſedem magis omnibus olim
Incoluere Duces, quibus urbs Brigantia paret:
Hîc & opes, nervos bellorum, hîc arma reponunt,
Et debellato quæſita ex hoſte trophæa.
Hîc Dux Theudoſius ſublimem erexerat aulam,
Magnificaſque domos, auroque nitentia tecta
Propter odoriferis halantes floribus hortos

Heſpe-

Heſperidum ſimiles: quales propè fabula finxit
Munifici Regis, cui ponti ereptus ab undis
Errores, caſuſque ſuos narravit Ulyſſes.
Huc delapſa Venus cygnos ad pabula ſolvi
Juſſit, & in vitrei requievit margine fontis:
Utque pharetratis per amæna vireta puellis
Ludere permiſit modicum: vos (inquit) Amores
Hoc duce (& oſtendit natum, quem blanda fovebat)
Ite Eboram, vicinam urbem, tranate volatu
Nubila pernici, atque Eduardo afferte, propinquum
Eſſe diem, quo jam flammati pectoris æſtus
Reſtinguat, voti ductâ ſibi Virgine compos.
Illum hæc cum Lyſio venientem ad mænia Rege
Ducite, ſaxoſaſque vias proſternite vernis
Floribus, & totas pharetras vacuate ſagittis.
Dixerat. Actutum fratres poſita arma reſumunt,
Obſervantque ducem: celeres ille impiger alas
Excutit, èque ſinu matris petit æthera primus.
Qualis apum ductor, ſi quando æſtate ſerenâ
Examen ſtimulis armatum in prælia ducit,
Ipſe volat medius, rutiloque notabilis ore
Præ ſe fert ſolo dignum regnante decorem:
Talis Amor (quanquam ſtimulis non parcat, ut alter
Ille ſuis) facie egregiâ, cultuque volabat
Inſignis, turbâ volucrum ſtipatus Amorum.
Interea, indigenis Nymphis comitantibus, aulam
Theudoſii Cytheræa intrat: miratur in altum
Libratas moles, Italoque exciſa labore
Marmora, & auratis radiantia culmina tectis.
Credidit Æneadûm palatia magna ſuorum

Cerne-

Cernere: ſplendebat tantum decus artis & auri.
Atque hîc Theudoſium Diva improviſa refulgens
Talibus aggreditur dictis: Fortiſſime Ductor
Lyſiadum, magni ſoboles præclara Jametis,
En adſum Venus, æthereas delapſa per auras:
Ut quæ nunc tandem ſedeat ſententia cælo,
Acciperes: Iſabella novo germana marito
Jam ducenda venit; regales inſtrue pompas,
Exere theſautos, ac rarum quidquid ubique eſt
Munificâ profunde manu; tibi maximus ille
Succedet tectis hoſpes, quem ſceptra tenentem
Luſitanus amat, Maurus tremit, Indus adorat,
Ipſe colis dominum, ac fido veneraris amore.
Hic ſponſum, ac fratres, ſecumque ingentia ducet
Agmina, ut hoſpitibus vix iſthæc mænia poſſint
Sufficere innumeris; ſed tu pro viribus omne
Officium patris impendes, tua nota voluntas
Eſt mihi, quoſque animos excelſo in pectore verſes.
Pro pietate iſtâ tædarum arcana tuarum
Accipe. Venturo conſortem tempore duces,
Qua nec in Heſperiâ, nec in orbe decentior ulla
Eſſe queat: genus illius ſi fortè requiris,
Communes numeratis avos, jam Virginis artes
Palladis eſſe putes, quam pulchro corpore vincit.
Talis Dardanio Paridi ſi viſa fuiſſet
Armipotens Virgo nemoroſæ in vallibus Idæ,
Hæſiſſet dubius paſtor, nec judice eodem
Prælatæ mihi ceſſiſſet victoria formæ.
Scilicet uxorem talem ſervabit in aulâ,
Inque ſuos mores finget tibi Regia conjux,

Filia magnanimi Regis Catharina Philippi,
Omnigenum exemplar virtutum, ac gloria sexûs
Fœminei, cui nunc prægnanti fata dederunt
Edere Joannem Quartum, non nomine solùm,
Sed patri similem virtute, animoque futurum.
Hujus in augustis comes, ac pars magna triumphis
Olim Joannes ibit tuus, aurea proles,
Qua te factura est Dionysia virgo parentem.
Hæc ita fatorum series volventibus annis
Omnia monstrabit: nunc quod prius instat agendum.
Vos igitur celeres Hymenæum accersite Nymphæ,
Et postes ornate, meàque intexite myrto.
Non fuscæ vobis violæ, non candida desint
Lilia, non nostro rubefacti sanguine flores.
His ubi sermonem clausit Dea Cypria dictis,
Attoniti Ducis ex oculis se solvit in auram,
Divinis jam jam manibus comptura maritam.
Tum primùm Joanna suo viduata Jamete
Permisisse sibi placidos pro tempore vultus
Dicitur, & lachrymis positis, ac fronte remissâ,
Flammea privignæ, cultusque parasse decoros.
Sic & lugentes animæ, quas silva tegebat
Myrtea, cùm patruo nupsit Proserpina Regi,
Admisere graves risus, paulùmque levatæ
Tristia sepositis laxarunt pectora curis.
Quos numeros, Joanna, tibi, quæ carmina donem
Æqua tuis meritis? taceam si cætera, quantùm
Idcirco laudanda venis, quòd clara Jametis
Semina, tot natos patriæ fœcunda dedisti.
En primus torvo generosæ frontis honore,

Nomi-

Nomine, conſiliiſque refert, & Marte parentem.
En Conſtantinus, vultu non pauca decoris
Signa tui geſtans, altùm præludit in armis.
En gemini, ceu ſtellantis duo lumina cœli,
Scintillant tenero pueri Fulgentius ore
Theutoniuſque, quibus ſimilis reptabat ab ulnis
Maternis Delo inſtabili formoſus Apollo.
Adde his intactas formâ excellente puellas
Bis geminas, totidem ſexûs decora alta ſecundi:
Joannam, cujus veluti cœleſte recuſent
Mortales hominum jubar, inſuetàque trementes
Caligent in luce oculi: Mariamque Sororem,
Quam ſibi ut aſſereret propriam Regnator Olympi,
Abſtulit humano generi, ſacriſque dicavit
Ædibus, & tantâ privavit virgine mundum.
Nec non cum ſummâ morum probitate venuſtam
Eugeniam, dignam, æqualis cui ſtemmate eodem
Agnatus, ditione potens, belloque tremendus
Olim felici contingat ſorte maritus.
Atque erit hic (niſi me vatum præſagia fallunt)
Cui celſos maternus avus, cognomine clarus
Gentis ab Almeida, titulos, nomenque reliquit
Franciſci, & domito quæſita Oriente trophæa.
Poſtremo impubes ſequitur Vincentia, qualis
Eſt roſa, quæ molli nondum ſeſe explicat horto,
Albas tecta comas, viridique incluſa galero.
Credo equidem, tali quondam ſi Amphionis uxor
Prole ſuperbiſſet, nunquam confixa ſagittis
Corpora ploraſſet: nam ſe confeſſa minorem
Ceſſiſſet Latona. Ultro ſpatiarer in amplâ
Materiâ; incepti revocat me carminis ordo.

Martius

Martius ergo dies niveo de vellere ductus
Affuit, obſcuras terræ populaverat umbras
Puniceis Aurora rotis, udæque volucres
Candentem reſono mulcebant æthera cantu.
Conjugii celebres Titan viſurus honores
Ocyor aſſueto Tauri ſe cornibus aureis
Extulerat: læto ridebant omnia vultu.
Theudoſii latè regali ſplendida faſtu
Aula nitet, pictis florent nova limina ſertis.
Intentos poſſunt oculos ſine fine morari
Ex alto variis ſuſpenſa aulæa figuris;
Quippe hîc Luſiadum partos Oriente triumphos
Artificis labor eximiâ diſcreverat arte:
Oceanique ſinus, Euroque afflata colono
Littora, velivolas claſſes, pugnataque bella
Finxerat: argento paſſim contexta rigebant
Sacri argumenti Lyſiorum inſignia Regum,
Et paſſim ignitis fervebant aurea pugnis
Æquora: ſanguineos miſcebat purpura fluctus.
Primùm Cochinio fortis pro littore ductor
Stabat, agens raros Eduardus in arma Pacequus
Lyſiadas, ferroque locum, flammiſque tenebat.
At contrà urgebat varias Malabaris Eoi
Regnator Samorin paucorum in funera gentes.
Hinc pelago innumeræ pinus, hinc margine ſicco
Horrendis diverſæ armis, habituque cateruæ
Lyſiadum exiguam certant evertere claſſem.
Illi obſtant, dextriſque adeo victricibus inſtant,
Ut famuli occiſi fœdatum ſanguine Regem,
Dum fugit, exanguem cogant ſe ſternere terrâ.

Parte

Parte alia belli Granatæ exercitus uſu
Primi Abrantæi Comitis clariſſima proles
Franciſcus, Regiſque vices, cultusque gerebat.
Ac primùm captâ Quiloâ, pulſoque tyranno,
Ipſe erecta ſedens ſupra tabulata verendus
Regali Alconis caput inſignibat honore.
Nec procul hinc urbem ferro populabat, & igne
Mombaſam, ſpoliiſque rates onerabat opimis.
Tum Calecutanos Pamnani in flumine cædens,
Illorum ſimul & naves, & tecta cremabat.
Quem juxta pulcher Laurentius agmen agebat
Filius, ut ſummas aliorum vertice criſtas
Æquaret, magnum promittens corpore robur.
Hîc vaſtam fundens Cananoris in æquore claſſem,
Egregium dextro quærebat Marte triumphum:
Illum inter primos inimicâ in puppe videres
Tollentem Indorum ſuprema in fata bipennem
Auratam, & multâ veluti de cæde rubentem.
Aſt alibi infelix juvenis prope littora Chauli
Illiſâ hærebat puppi, quem claſſe premebant
Milichias, Mirocenque duces per devia, qualis
Æſtiferæ Lybiæ venantum turba fatigat
Cedentem lentè, nec dantem terga leonem.
Heu fidam claſſem ſociorum arcebat iniqua
Torrentum vis undarum, quam vincere fruſtra
Tentabant remis: & enim vela omnia laxa
Monſtrabant, ventos poſuiſſe, auraſque ſilere.
Ille indignanti ſimilis, quâ evadere poſſet,
Spernebat cymbam oblatam pietate ſuorum:
Et ne cum ſummâ qui geſſerat omnia laude,

Excu-

Digitized by Google

Excuſandum aliquid faceret: quamquam æger, & ora
Saucius, afflictæ tutelam utcumque carinæ
Suſcipere, & circunſtantes moriturus in hoſtes
Tela videbatur verſare, decuſque tueri,
Victurâque in perpetuum nece procumbebat.
Littoreæ Nymphæ (Quid enim non illa moveret
Celſa ducis ſpecies, extinctaque gratia formæ?)
Cum lachrymis ita commotos ad ſydera vultus
Tollebant, ac ſi Cœlum crudele vocarent.
Poſthæc Franciſcus demiſſâ in pectora barbâ
Pullatus, contra Dabul dira arma movebat;
Namque trucidabat ſtantes pro mœnibus hoſtes,
Mœnia vaſtabat flammis: non parcere ſexu,
Ætativè dolor poterat, rabiesque nocendi.
Deinde urbis Dii latos complentia portus
Vela ducum, nati Laurenti cæde tumentum,
Invadebat atrox. Parte ex utrâque carinas
Flammantes igne accenſo, totumque nigranti
Aera denſatum fumo, nimboque volucrum
Telorum, armatis & fervere littora turmis,
Et multo aſpiceres undantem ſanguine pontum.
Hîc ratibus junctis, Mavortia pectora, noſtri
Lyſiades ferro in Turcas ultore ruebant.
Hîc Mirocen Lyſiâ percuſſus cuſpide frontem
Brachia jactabat pelago, curſuque petebat
Navale, ut ſociâ fugiens ſe conderet urbe.
Illum evadentes Turcæque, Indique natantem
Ponè ſequi, & vitam trepidi ſervare per undas.
At ſenior viridi redimitus tempora lauro
Franciſcus Cambaiæ alnos, Turcaſque triremes

Capti-

Captivas medio ducebat in æquore victor.
Necnon multus erat diverſis partibus aulæ
Dux Alburquerquæ prognatus origine Gentis
Alphonſus, cui juncta comes Bellona flagello
Sanguineo Mauros pariter terrebat, & Indos:
Ormuzum, fortemque Goam, ditemque Malacham,
Gangaridum innumeris defenſas millibus urbes
Cernere erat ſub Lyſiadum ditione redactas
Fulminei virtute ducis: rubicunda virago,
Æthereo demiſſa polo volitabat in illum
Prona, triumphalem geſtans Victoria palmam.
Obtutu aulæis fixo dum talibus hæret
Undique concurrens thalami ad ſpectacula cætus,
Intonuit lævùm Omnipotens, Cœloque ſereno
Signa dedit, facto deſcendunt agmine Divi,
Ut celebrent feſtos hominum ſub imagine ludos,
Formoſumque novis ſocient Hymenæa maritis.
Principiò Mars bellipotens parat arma ſequenti
Exercenda die, minor eſt haud cura Minervæ:
Mille ad concurſus equitum Dea comparat haſtas,
Centum quadrupedes phaleris radiantibus ornat.
Tum, quas in ſilvis ſine vulnere cæperat altis,
Includit Dictynna feras, armenta minaces
Seducunt tauros, cæcoque in carcere linquunt:
Incluſi torvas acuunt in prælia frontes.
Hinc cultus, Ægypte, tuos, mentitaque ſexum
Turba ruit, pedibus choreas latrator Anubis,
Fictaque Niligenûm plaudebant monſtra Deorum.
Inde ſenum feſtiva manus, ducente Lyæo,
Bacchatur ritu patriæ, curſuſque recurſuſque

Inge-

Ingeminat recinens, atque æra ſonantia pulſat.
Parte aliâ culti juvenes, pulchræque puellæ
Prodibant, lætumque choris Hymenæa canebant.
Hos Divum exemplo reliquorum intonſus Apollo
Ducturus fuerat; niſi tunc ingentia Muſis
Mœnia jam Lyſiiis ad Mondæ fluminis undam
Conderet, ut Regi Lyſio renovaret Athenas.
Cumque Almeidææ ſpecimen probitatis ibidem
Garſias rerum primas tractaret habenas,
Et vates fatis illum ad maiora vocari
Præſciret, Romæ procul accerſebat agentem,
Patronum doctis, Mecænatemque futurum
Bernardum, ac magno ingenio, ſanctèque benignis
Moribùs huic operi magna incrementa daturum.
Interea medio poſtquam deſcendit Olimpo
Sol leviore rotâ, magno ſtipante ſuorum
Agmine, Theudoſius lætos properabat in agros,
Obvius ut Regem exciperet: comitantur euntem
Formoſi fratres gemini, Mendoſia proles.
Incedunt juxtà pedibus centum undique lecti
Corpore procero famuli, quos pallidus omnes
Cæruleuſque color, partes diviſus in æquas,
Veſtit, & alternis variat diſcrimina limbis.
Sublimes in equis præcedunt ordine longo
Æthiopes, quorum arte ſonos cava tympana reddunt,
Et buxi, atque tubæ: pendent argentea nigro
Scuta inſigne Ducis ſacrum monſtrantia collo.
Contrà per virides colles, & pinguia culta
Joannes patriæ Pater, & Regum optimus acri
Rex veniebat equo vectus, quem Martia Septa

Nutri-

Digitized by Google

Nutrivit Lybicum, & domino tranſmiſit habendum.
Illum ſecurâ populos in pace regentem
Haudquaquam rigidis horrens exercitus armis
Tutatur, meritò; Quid enim ſolemnia Regum
Spicula præferret, cui tantùm ſufficit unum
Præſidium, communis amor? privatus euntis
Cultus erat, modicumque enſi permiſerat aurum
Magnarum largitor opum, quem veſte latentem
Non minùs ignotæ poſſent agnoſcere gentes.
Tantus honos, oriſque decor, tam celſa coruſcat
Maieſtas vultûs metuenda & amanda ſereni,
Sed metuenda minùs: reliquos aut purpura Reges
Indicat, aut ſceptrum, vel cum lictore ſatelles:
Hunc facies monſtrat regnare, & parcere regno.
Talis ad Æthiopum menſas, & littora patris
Oceani cinctus Divis, & fulmine nullo
Juppiter it, ſceptri poſitâ gravitate ſerenus:
Necnon & Divis ſimiles latus undique Regis
Claudebant Fratres: dextrum claudebat amictus
Purpureâ veſte Alphonſus, quo Cardine poſtes
Non ſe verterunt Romæ feliciùs unquam.
It Regi comes exterior Ludovicus, in illo
Invicti ſpecies ducis æquiparanda Gradivo
Emicat: ejuſdem nuper ſententia victrix
Fecerat, ut Carolus Lybiæ progreſſus in oras
Pelleret immanem Tunetis ab arce tyrannum,
Sydereo Carolus demiſſus ab æthere Quintus,
Cujus in Hiſpanis habitans Victoria caſtris
Inde ſacras aquilas, juratasque ſigna tuetur:
Ut qui Magnorum titulos meruere triumphis

Maximus imperio pacatum temperet orbem.
Mox ſacer Henricus, vatum terrenus Apollo,
Et decus Aonidum, cultu ſpectabilis albo,
Subſequitur fratres, cui ſi ſanctiſſima claves
Olim Roma dabis, quantùm exultabit in ipſo
Æthere Piſcatorque Senex, omniſque piorum
Succeſſorum ordo? rutilo mirabitur auro
Ipſe ſuas ſplendere pater Tyberinus arenas
Lætus honore Tagi, ſed & in mare celſior ibit.
Proximus incedit Princeps Eduardus, & altè
Lumine veſtigat cupido, ſi cernere detur
Mœnia, caſtellumque, ſuos quod ſervat amores.
Ac mora longa omnis, longæque videntur amanti
Eſſe viæ, ſegnique gradu procedere Fratres.
Mirantur campis fuſi juveneſque, ſeneſque
Illius roſeum quàm blanda ſuperbia vultum
Commendet, quales oculis diſpergat honores.
Talis ab Eoo cùm primùm cardine ſurgit
Auroræ ſocius, Veneri gratiſſimus idem,
Lucifer umbroſo perfundit lumine terras.
Circa illum Paphiâ velati tempora myrto
Mille pares volitant pueri, gens mollis Amorum,
Quique ſuæ gaudent obiter dare vulnera plebi.
Ipſe autem juxta matris præcepta Cupido
Agmina ductabat, ſinuatoque improbus arcu
Incenſis Dryadas feriebat ruſtica telis
Numina, cum Satyris ſtudio progreſſa videndi.
Poſt & Lyſiadum primi, Comiteſque ſequuntur,
Magnateſque viri, quorum ſi nomina longus
Perſequar, innumero creſcet mihi pagina verſu.

Nec

Nec tamen hos inter proceres Antonius ibat
Caſtaneus Comes, ac gazæ præfectus Eoæ;
Quòd magnam interea claſſem expediebat ad Indos,
Sollicitus pro Rege ſuo, cui charior alter
Nemo fuit, talem Regis Joannis amorem
Antonî meruit pietas, ſapientia, virtus.
Sed non indictus Lamecenſis Præſul abibit
Fernandus, cujus niveo diſtincta colore
Brachia candoremque animi, baculumque notabant,
Securas quo paſcit oves: ut mandere terram
Cogantur rabido ore lupi, longèque recedant.
Non alter Fernandus avis, ataviſque ſuperbus,
Franciſci Pharii genitor, Regique propinquus
Sanguine, quem ferulâ inſignem, caniſque verendum
Rectorem obſervat Catharinæ Principis aula.
Nec te, Petre ſacris mecum nutrite ſub antris
Muſarum in primâ puerorum ætate, ſilebo:
Qui Regis ſecreta tibi commiſſa fideli
Omnia conſervas animo, cui ſufficis omnes
Unus in Europæ, Lybiæque, Aſiæque libellos.
Atque ita dum paſſu properant utrinque citato,
Ecce Jametiadis creſcens exercitus implet
Et nemora, & colles, & prata virentia turmis.
Deprenſæque feræ ſilvis evadere curſu
Tentant: ſed notas nuſquam invenere latebras.
Ille autem Regem pronus de more ſalutat,
Ac refugæ ſupplex declinat in oſcula dextræ.
Excipit hunc contrà placidus Rex ipſe, caputque,
Unde mare, & Terræ tot regna ingentia pendent,
Nudat, & amplexu pariter dignatur amico.

Pro-

Digitized by Google

Progreditur Dux, atque modo veneratus eodem
Alphonſum, ac Fratres, Eduardum amplectitur, haſce
Conjungens voces, tandem, ò clariſſime Princeps,
Hæc optata dies venit: cape regna Sororis,
Et noſtræ cape regna domûs: deſerviat uni
Brigantina tibi, ſimul & Guimaranea tellus.
Dixerat, atque oleas inter, quibus alma nitorem
Inſuetum Pallas dederat, vicina videbant
Mænia, cùm ſubitò caſtelli è vertice cæpit
Audiri fragor horrendus, tonitruque frequenti
Irrumpi Cœlum viſum eſt, prorupta furentis
Tormenti nubes, atque igneus aera turbo
Verberat, incenſæ volitant per inane favillæ.
Audivere lacus liquidi, procul audiit Oſſa,
Atque Eboræ ſedes penetrans argenteus amnis
Molibus aereis, & Rege authore ſuperbus
Audiit, ad pectus preſſerunt pignora matres,
Quæque fovens ſinubus pavitantia corda boatu.
His ego Phlegræos (ſi vera ea fama) tumultus
Crediderim ſimiles: junctis cùm montibus auſi
Bellum inferre polo, furialia monſtra, Gigantes,
Ad matrem incenſi rediere cadavera Terram.
Inde propinquabant tectis, fontemque tenebant,
Quem Parvum indigenæ appellant, is pocula vulgo
Hactenus, & patulis ſemper ſuffecerat urnis:
Sed tunc quandoquidem populis coeuntibus hauſtus
Arebat, fontem contrà Lenæus Iacchus
Inter florentes erumpere fecerat herbas,
Unde merum fluxit: concurritur impete denſo
Ad potus, bibulique Ducem ſuper æthera jactant
Laudibus, Euboici clamant ut pulveris annos,

Neſto-

Neſtoris ætates, Troianaque ſæcula vivat.
Suſpicit hic geminum non æquo lumine Solem,
Et Baccho ſuperante jacet reſupinus: at ille
More bibit Scythico poſtquam mera vina, liquores
Vicino de fonte petit, quem provida Tellus,
Ne foret immunis, nullo ceſſante Deorum,
Struxerat, hîc ficto ſurgebat marmore candens
Poſtis, & aurito jaciebat vertice lymphas.
Exin Joannes ſolemnè ad celſa receptus
Atria Vulcani conſtructos arte Penates
Ingreditur: Fratres illum procereſque ſequuntur.
Tum Virgo egreditur, thalamo cunctata parumper,
Et rerum novitate tremens: cui mater Amorum
Albentem flavo pallam collegerat auro,
Reticuloque comas pretioſo incluſerat aureas,
Viva laborantem velabat purpura vultum.
Talis ubi Oceanum jam Phæbo inſtante reliquit,
Noctis & obſcuras umbras, & clara fugavit
Sydera, cum vultu niveo, cum crinibus aureis
Purpureum miſcet formoſa Aurora ruborem.
Incendunt teretes digitos, & eburnea colla
Virginis Eoo quæſitæ in littore gemmæ:
Fulgurat & raro bacchatum adamante moniſe,
Quod dedit affini donum Emmanuelia Princeps,
Terrarum imperii conſors Iſabella, Philippi
Principis Auguſti mater, quæ ſola reperta eſt
Cæſare digna viro: quia nec natura ſub uno
Pectore tot dotes animi cumulaverat unquam.
Nupturam hinc mater Joanna, hinc filia ducit
Joanna, haud impar creſcenti filia Lunæ,

Quam

Quam non pura dies facit evaneſcere Cœlo:
Jam plenæ ſimilis mater, ſed cui invida Tellus
Abſcondit Solem, & tenebras pro luce reliquit.
Obſtupuit viſâ Sponſâ Emmanuelius Heros,
Turbatoque gradu accedens, dupliceſque ſmaragdos
Altâ in fronte notans, credit duo deſuper aſtra
Lapſa, aut cujuſdam furto ſubtracta Promethei.
Mox ambo æterno jungunt ſocialia nexu
Vincula, & alternis emerunt pectora verbis,
Quæ Pater Alphonſus ſacri ratione galeri
Dictavit, velutique Hermes trepidantibus author
Aſtitit, & geminas dedit in commercia dextras.
Vix ea finierant, Eduardi ex ore Cupido
Ingentem totis ſinuavit viribus arcum,
Auratâque novam tranſfixit cuſpide nuptam
Juſtus, & æquatis devinxit corda ſagittis.
Inde alacer pennis adjutus in oſcula matris
Exiliit, roſeâque levis cervice pependit.
Illa facem æterno flammantem incenderat igne;
Quam gaudens quaſſabat Hymen: ter pronuba Juno,
Ut felix, fauſtumque foret, ſolemnia verba,
Concepit. Sed enim liquidis de fontibus undam
Attulerant feſto plaudentes carmine Nymphæ.
Ut verò clamatus Hymen fugientia lucis
Tempora contigerat, facibus ſplendentia cereis
Lumina, & è cunctis paſſim funalia tectis
Suſpenſa excludunt noctem, pro parte coactam
Thebanas penſare moras, & cedere flammis.
Interea inſignes epulæ, ſtratiſque ſuperbis
Impoſitæ Regem expectant: Mavortius illic

Ales

Ales adeſt, Solis quondam explorator, & ore
Perſarum Regi ſimilis, quem cæſius horret
Criſtatum leo, ſed dederant molleſcere ferro
Amiſſi veneris ſtimuli, cantuſque ſonori:
Altilis, una olim ſolùm conceſſa Quiriti,
Plurima adeſt, gallo nondum matura ſalaci.
Adſunt gemmanti referentes ſidera caudâ,
Elatæ Junonis aves, neque profuit aſſis
Id quod Alexander ſpeciem admiratus earum
Magnus apud victos contrà præceperat Indos.
Et Phæbo ſacer, & Zephyro ſpirante canorus
Venit Olor, cui nulla caput trajecerat album
Penna ſeni: heu captus Mirenſis ſtagna paludis
Liquerat, & nullo celebrarat carmine funus
Optatum cæſus, nec ſidera voce ſequutus.
Ponitur aereâ turtur qui ſolus in ulmo
Non ſolo ore gemit. poſita eſt & Dædala perdix,
Cujus in Ægypto perhibent ſignare figuram
Infenſos aliis: poſitæque fuere volucres,
Quas, licèt impediant venerem, Venus ipſa tuetur,
Agnoſcitque ſuas: poſita eſt matertera Phæbi,
Nunc ales, veterum menſis damnata cothurnix.
Laudatumque nimis poſitum eſt jecur alitis ejus,
Quæ cùm ſopitis canibus vigil una fuiſſet,
Tarpejam cantu ſervavit ab hoſtibus arcem.
Non deerant lepores, non quo caret Africa, cervus.
Extractum effoſſis animal non deerat ab antris,
Cujus (ut hiſtoriæ tradunt) Balearibus agris
Tantus proventus quondam fuit, ut populatis
Meſſibus auxilium numeroſa animalia contra

Conſtet

Conſtet ab Auguſto trepidos petiiſſe colonos.
Inviſum affertur Veneri caput, exit ab ore
Fulmen, adhuc ſævi minitantur prælia dentes.
Talia cùm primas onerarent fercula menſas,
Necdum prodirent bellaria danda ſecundis,
Ecce inter Fratres ſolio conſedit eburno
Rex medius, nudique caput generoſa propago,
Hinc atque hinc pueri glomerantur poplite flexo.
Inter quos Regis pendebat ab ore paratus
Ad nutum Ganymede James formoſior ipſo.
Tu quoque pendebas, Saſiæ ſpes maxima Gentis,
Jam venerande puer Franciſce, novemque Sororum
Delitiæ, vatum quondam tutela future.
Tum manibus lymphas Heroum argentea fundunt
Pocula, cælatis auro pretioſa figuris,
Materiam vincente manu, feruliſque miniſtri
Conſpicui totos ſeſe priùs inclinarunt.
Adſtabat menſis, Regique ſecabat edenda
In partes veterum juvenis flos ille Luporum,
Reginæque Lupæ genus alto à ſanguine ducens,
Quem Mauri armatum tremuere ad mænia Tingi,
Magnaque legatum mirata eſt Roma, Philippus.
Heu fatum crudele, heu Zonæ crimen aduſtæ,
Te modò, Lyſiadum juvenum pulcherrime, febri
Languentem, ac breviter miſerando funere raptum
Et nudi Æthiopes, ſicciſque in fontibus ipſæ
Naiades, atque adeo fleverunt littora Minæ.
Unde miniſterii Rodericus Tavora conſors
Illa hodie ſcindit Regalia fercula dextrâ,
Qua Baſainenſes reſperſit ſanguine campos

Ductor

Ductor, & Indorum meruit de gente triumphum.
Ad cyathos ſtabat nemo, qui ſuavia Bacchi
Dona miniſtraret: puris quia ſcilicet undis
Vivere Lyſiadum Regi eſt ſolemne, meroque
Parcere; ut Andocydis docti præcepta ſecutus,
Quæ Macedo occiſis non exaudivit amicis,
Ediſcat gelidis plus vina odiſſe cicutis
Ebrius, & nullo corrumpat nectare mentem.
Atque hîc Demodocus vates Parnaſſide lauro
Tempora vincta gerens, niveoque inſignis amictu,
Andinæ cytharæ perſtrinxit pollice chordas,
Lyſiadumque altè repetens primordia Regum
Alphonſum canit æthereæ depicta gerentem
Signa Crucis clypeo, quam quinque erepta figurent
Scuta ſimul victos totidem ſignantia Reges,
Atque ex argento triginta albentia nummis.
Quæ fundamenta, atque æterni inſignia Regni
E cœlo fluxiſſe refert, quo tempore verus
Ille Deus MARIA de Virgine natus JESUS,
Cui mortale genus vitam, & cæleſtia debet
Gaudia, Tartarei ſervatum faucibus Orci,
Seſe Henriciadi manifeſtum oſtendit ab æthrâ,
Affixumque cruci clavis, fluidoque cruore
Manantem, qualis culpam delevit Adami.
Adjicit, ut populis antehac poſſeſſa profanis
Oppida, & imprimis multâ vi ceperit urbem,
Terrarum fulgentem oculum, vaſtique potentem
Reginam Oceani, dictam de nomine Ulyſſis;
Ut vario in ſummâ viginti Marte Tyrannos
Vicerit, & geminos ſupremo in culmine Reges

Imperii positos, felix si dira novercæ
Matris vota Deo nunquam exaudita fuissent.
Denique ut illius Sanctæ Crucis æde sepulchrum,
Qua modò Phæbæas Conimbrica sustulit arces,
Hunc habeat niveo descriptum in marmore versum,
Alter Alexander jacet hîc, aut Julius alter.
Inde brevi octonos transcurrens ordine Reges,
Joannem exaltat Primum, terràque, marique
Victorem, Lysii columen memorabile regni:
Quem simul, ac magnum Castellæ in prælia Regem
Armat, inæqualesque acies utriusque rependens,
Collatis facit armatos concurrere signis.
Lysiadas numero exiguos, sed pectore forti
Ingentes canit, atque adeo vel vincere promptos,
Vel Regi, patriæque mori: quæ gloria genti
Insita per seros crescat transmissa nepotes.
Hîc hostes latè fusos, Regemque fugatum
Castellæ, signo amisso, castrisque relictis
Subjungit, positumque albo de marmore templum,
Grande pii victoris opus, quòd condita servet
Æternùm tanti quædam monumenta triumphi,
Ipsius, Regumque aliorum insigne sepulchris.
Unde genus nuptæ veluti de fonte paternum
Derivat rectè numerans. Nam filius olli
Alphonsus fuit, Alphonso Fernandus, & alter
Natus ab hoc genuit fato meliore Jametem.
Hîc & grandiloquo Nonium sonat ore Pereiram
Illum, qui nobis audendo restituit rem,
Atque decus regno, libertatemque paravit:
Quo fretus Rex Joannes, ceu fulmine belli

Expu-

Expulerit Lyſiis dominantem finibus hoſtem,
Et Septam Lybiæ caput expugnaverit urbem.
Ergo Virum patriæ tam fauſto ſidere natum,
A quo magna Domus primùm Brigantia fluxit,
Et Villæ Regalis honos, ſuper æthera notus,
Lyſiadum Aiacem, ſervatoremque Camillum
Prædicat, & qui Mæonio ſit carmine dignus.
Hinc Succeſſorum poſtquam notiſſima Regum
Acta trium cecinit, miſcens infauſta ſecundis:
Tum fortunati Emmanuelis ad aurea venit
Tempora, tum plectro graviore attollere cantus
Cœpit, & Heroas pietate avertere menſis.
Namque canebat, uti procerum per funera multa,
Ad quos invicti Joannis ſceptra Secundi,
Si ſupereſſe datum, ſancitâ lege redirent,
Fata novum regno dederint ſplendeſcere Solem,
Qui ſe divino Emmanuelis nomine dignum
Cæleſti oſtendens fervore ſacraverit ultro,
Impleritque Deo gentes, penitusque rebelles
Juſſerit è totis quòcunque excedere regnis.
Illius auſpiciis canit ut de littore magnæ
Urbis Ulyſſææ felices ſolverit audax
Vaſcus Gama rates, quò divitis oſtia Gangis
Quæreret, ignotique daret commercia mundi:
Sidere ut incerto, quà vix immobilis Arctos
Horrendum monſtrabat iter, maria invia primus,
Immanes ſcopulos, indignantemque recludi
Oceanum inventis tandem patefecerit Indis.
Utque Viro propter victricia ſigna beati
Regis in Eois chorus aſſurrexerit undis

Nerei-

Nereidum, ut, conchâ qui perſonat æquora, Triton
Dixerit: Hunc cape, & Emmanueli redde Tridentem,
Oceani pignus famuli, quem Rector aquarum
Ipſe libens ſocio mittit, contraque ſuperbi
Hippotadis vano demiſſos carcere ventos
Auxilium, & pelagi caſus promittit in omnes.
Has autem gemmas, hæc rara monilia mittit
Pulchra Amphitrite, Neptuni regia conjux,
Reginæ Mariæ, cujus nomenque, decuſque,
Et virtus tam ſunt ponto, quàm cognita terris.
Tunc ipſam extollens navem Ducis, æthere dignam
Non minùs eſſe probat, quàm quæ ſub Jaſone quondam
Navit, ut aurato ſpoliaret vellere Colchos.
Sed quamquam huic Regi regnum debere, ſuosque
Plurima commemoret, nullos in pace tumultus,
Regales aditus faciles, & certa merenti
Præmia, præpoſitum doctum, & ſine labe Senatum
Juſtitiæ, inſtructas templis radiantibus urbes:
Præterea trepidos intra ſua mœnia Mauros,
Nec ſeſe audentes Lybico committere ponto,
Omnemque Auroræ gazam, Regeſque ſubactos
Indorum, & lætos quocunque ex hoſte triumphos:
His tamen, & quæ multa queat numerare canendo,
Poſthabitis, illud quaſi primum ad ſidera tollit,
Quòd Regem ediderit regno, patriæque parentem
Joannem, terris Saturnia ſæcula dantem.
Quem tunc præſentem, ac juſtis, quotcunque fuere,
Regibus anteſtantem animi virtute ſereni,
Cùm vates dignè nequaquam oſtendere poſſet,
Timantis dignè picturam, artemque ſecutus

Velat,

Velat, Apollineâ ſe faſſus ab arte relinqui.
Unde novum ſummo natum Emmanuele maritum,
Et nuptæ genitorem Iſabellâ è matre creatum,
Colligit excelſo pariter de ſanguine ductos
Fernandi illius, genuit quem Rex Eduardus.
Quid referam, ut demum Phœbæo arcana furore
Fatorum reſerans tædis prædixerit illis
Gignendum Heroem, patrio quem nomine dictum,
Atque excellentis donatum agnomine Princeps
Joannes, veteris Luſi nova gloria regni,
Diligeret ſupra innatum patruelis amorem:
Qui Lybiæ fatalis & inſuperabilis hoſti
Auferret Lybicis patruo ſub Rege coronas
Regibus, ardenteſque æſtu tranſgreſſus arenas
Victor Lagæi penetraret ad oſtia Nili?
Nempe ob divinos thalamos, cum Theſſala tempe
Inviſit, talem, Superûm cingente coronâ,
Credibile eſt cænaſſe Jovem. Sic Phœbus ibidem
Æthere ab aſſerto, Pallenæiſque triumphis
Exorſus cecinit Pelei, Thetidisque parentes,
Maioremque ſuo factis genitore futuram
Progeniem, Troiæ fatalem indixit Achillem.
Sit ſatis hæc, Erato, tenuem ſcripſiſſe poetam,
Dum legum ſolvens nodos, ſenſusque recludens
Vix haurire poteſt veſtro de fonte liquores.
Qualiacunque igitur facies hæc grandia Magno
Theudoſio, cujus ſacro ſub Nomine nomen
Durabitque meum, & fortaſſe in ſæcula vivet.

FINIS.

IN

IN NUPTIIS JOANNIS, ET JOANNÆ Lusitaniæ Principum CARMEN.

EST in Carpathiis scopulus latè arduus undis,
Nota senis Protei sedes, de vertice cujus
Prospicit egressas vicina ad littora Phocas,
Reddit & ambiguis divina oracula rebus.
Hîc illum (sic fama refert) videre puellæ
Nereides similem attonito, atque immota tenentem
Lumina: formosæ quem candida filia Costæ
Jana, potens cantu morientes vincere cygnos,
Aggreditur: Venerande Senex, qui pectore in isto
Transacta, & quæ sunt, venturaque sæcla recondis:
Cùm nuper Cyprias legeremus in æquore conchas,

Divi-

Divitiis onerata maris, faſtuque ſuperbo
Viſa Venus ſulcare fretum.: Cum matre Cupido
Ibat ovans, duplici telo ſpectabilis aureo:
Frænatos ſupplere vicem delphinas olorum
Cernere erat: Veneris famulas immania terga
Balænæ, ac ſolito maiorem Hymenæa vehebant:
Aligeri nando variis in piſcibus ibant
Ludentes circum pueri, qui tempora myrto
Velati dederant collo pendêre pharetras;
Quin etiam Neptunus equis per cærula vectus
Dicitur Oceanum, ac Phœbi petiiſſe cadentis
Littora, præmiſſumque ferunt Tritona canorum,
Qui totum inflatâ concha circumſonet æquor
Divinas tædas, & felices Hymenæos.
Dic igitur, quinam Sponſi, quo ſanguine creti,
Quove loco tanti thalami celebrentur honores?
Hîc etenim nos cura tuæ mandata ſenectæ
Detinuit, feſtas licuit neque cernere pompas.
Tunc Proteus: Gemini flores, decora inclyta mundi,
Joannes, Joanna, ambo de ſanguine eodem
Progeniti juvenes, quorumque parentibus orbis
Nil melius, nil maius habet, junguntur in oris
Occiduis, quà ſe victrix Hiſpania magno
Terminat Oceano; ſed enim de nomine Ulyſſis
Dicta urbs, Lyſiadum ratibus quæ cuncta ſubegit
Finibus à Lybicis Orientis ad uſque beati
Ignotas terras grandi molimine vires
Explicat, ut digno, quem juſtè ambivit, honore:
Has poſſit celebrare faces: Per compita paſſim
Eduntur feſtis centum ſpectacula ludis:

Atque

Atque coronatæ ludunt ad littora puppes.
Hîc gens Lyſiadum, qua nulla fidelior uſquam
Obſervat Reges, hodie, quaſcunque paravit,
Exultans profundit opes, & veſtibus aurum
Aptat, & elato bacchata monilia collo.
Hîc Caſtellani pretioſo vellere Serum
Induti lætas atollunt vertice criſtas.
Nec tantùm affectus animi prædivite cultu
Extremæ Heſperiæ certant oſtendere gentes:
Ipſa etiam laſcivit humus, quam germine florum
Vernantem, ut Tauri ſi cornua Sole calerent,
Mirantur, nullosque imbres, atque æthera purum,
Mutatasque vices anni: nam tempora veris
Læta quis in pluvio vidit ridere Decembri?
Hanc demum, qua Joanni Joanna marito
Tradenda eſt, niveo Lacheſis de ſtamine lucem
Ducit, & egregio condonat lumine Titan.
Jam mirè inſtructam navim, quæ cærula verrit
Auro intertexto, conſcendit avunculus idem,
Joannæque ſocer, Regum juſtiſſimus omnium,
Joannes, Lyſio induxit qui ſæcula regno
Aurea, nunc hominum porrò commercia taxat
Legibus, ut ferreæ pereant veſtigia fraudis.
Illum habitu inſignem regali, ipſàque verendum
Majeſtate, tremor Lybiæ, virtutibus ingens,
Fraterni columen regni, Ludovicus, & omnes
Heſperiæ ante Duces vaſtâ ditione ſuperbus
Theudoſius, proceresque alii comitantur euntem.
Tendit in adverſam Barrerî littoris oram,
Alta ſerenato prætendens gaudia vultu:

Joan-

Digitized by Google

Joannam ut nato ſecum deducat in urbem
Joanni. Pro quo ſolemnia verba mariti
Concepit, rari Legati munere functus,
Tavoreâ de Gente ducum Laurentius unus,
Dilectus Muſis, Tydeoque animoſior armis.
Virginis ejuſdem meritò cuſtodia ſumma
Extremis patriæ Caſtellæ à finibus uſque,
Propter laudatas generoſi principis artes,
Averio eſt commiſſa Duci de ſtirpe creato
Joannis, quem fama vehit ſuper aſtra, Secundi.
Ducit & immenſis Comes Arganilius illam
Sumptibus, ad Mondam poſita qui Præſul in urbe
Fulmineo tonat ore pius, monituque potenti
Terrenos animos rapit in penetralia Cœli.
Tollitur interea ventis mare, ſibilat aura,
Volvuntur cano ſpumantes vellere fluctus:
Sed tamen ornatis tenuit cùm claſſibus altum
Joannes, olli poſuerunt flamina venti
Actutum, & ſupplex jacuit ſine murmure pontus.
Tantùm uni Zephyro permiſſum eſt leniter undas
Pacati criſpare maris. Ne ſingula narrem,
Ecce triumphali vehitur ſuper æquora pompâ
Cùm ſocero Caroli Quinti digniſſima proles
Joanna. O qualem vultum, quæ lumina cerno,
Nereides, quantum Auguſto decus emicat ore:
Ut crines revoluta aureos, gemmiſque coruſcis
Irradians venit in niveâ pulcherrima veſte.
Talem inter Nymphas Phæacum in littore quondam
Nauſicaam Alcinoo genitam non vidit Ulyſſes.
Quid loquor? Æmonias preſſit non talis arenas

Noſtra Thetis Regi Peleo tradenda marito.
Cerno etiam quas unda Tagi, quas flumen Iberum,
Quas aluit Bethis ſpecioſo corpore Nymphas
Joannæ. Nimiùmque oculos dejecta refulget
Sylvia, quam pridem coluit, & facit ille colendam
Sylvius Hiſpanis longè celeberrimus oris.
Conſpicuæ filis bombycum, & murice pinus
Regalem ſtipant navem. Non Aulide plures,
Non ſic compoſitas Danai ſolvêre carinas.
A puppi aſpirant auræ, ventuſque ſecundus
Æquatas tendit velorum flatibus alas.
Hîc ſeſe oſtentant cymbæ, totoque profundo
Cæſareaſque Aquilas, Caſtellanoſque Leones,
Atque Indos referunt prono diademate Reges.
Tum verò innoeuæ Siculis de rupibus adſunt
Sirenes, Caroli patris quæ bella canendo
Perſtringunt, Ticini captivum ad mœnia Regem
Gallorum, mox Cæſareâ virtute ſolutum:
Romam illam rerum dominam, mundique potentem
Auſpiciis etiam inviti parêre coactam:
Danubii ad ripas commiſſo Marte fugatum
Turcarum Dominum immanem, dum Cæſaris horret
Fortunam, invictumque animum, Hiſpanoſque propinquos.
Addunt & captas ſuperatis civibus urbes
Arentis Lybiæ, debellatoſque rebelles
Germanos, utque Hiſpanis tranantibus Albis
Spumeus, & levibus vix nabilis ante carinis
Ceſſerit, atque humiles Aquilis inſtraverit undas
Auguſti, refugum vindex quo cæderet hoſtem:
Denique ut aſſertum bello ſic temperet orbem

Maxi-

Maximus, ut titulos Magnorum exceſſerit omnes.
Parte aliâ erumpit ſalſis Tagus altior undis,
Et Dominam agnoſcit venientem, aurumque tot annis
Occultum rutilis vulgo diſpergit arenis.
Tum procedentes è gurgite Naiades aureo
Joannæ thalami contextum munus in uſum
Pulvinar geniale ferunt, quo cernere poſſit
Alphonſum Henrici, Lyſioſque ex ordine Reges,
Maternum genus, & partem pro tempore monſtrant
Arte novâ, & multo ante alias ſplendore nitentem,
In qua Reginæ ſocerum de ventre Mariæ
Naſcentem, inſolitis nimbis, atque ignibus æther
Parturit. Horrentes Afrique, Indique Tyranni,
Ac velut exangui ſpectantes æthera vultu,
Joannem agnoſcunt, prædictum â vatibus, edi.
Ad partus virgo properè deſcendit ab alto
Aſtræa, & Superûm deducit ab arce ſorores.
Excipit infantem viridante inſignis olivâ
Aurea Pax: cunas motant ad carmina Muſæ.
Talia dum medio in ponto miranda videntur,
Urbs Dominæ aſſurgens ſubitis Mavortia flammis
Fulminat horrendùm. Rapido impete tormentorum
Terra tremit: nutant celſæ cum mœnibus arces:
Confugiunt pavidi materna ad pectora nati.
Reſponſant pelago naves, atque aera fumo
Involvunt, cunctiſque vomunt è partibus ignem.
Hos inter mixtos urbis, pelagique tumultus
Sydereus juvenis, patrii ſpes unica regni,
Joannes, cui non temerè eſt fatale parentum
Impoſitum nomen, Catharinæ ad ſtrata recumbit

Reginæ

Reginæ Matris, cujus formamque, genuſque,
Divinaſque animi dotes me forté canentem
Audiſtis, volui offenſus ſi quando movere
Invidiam magnæ Dominæ maris Amphitritæ.
Multus honos decoris, majeſtatiſque paternæ
In juvenis facie eſt. Candens diſtinguitur auro
Veſtis, & in famulo lectis Oriente lapillis.
Jamque ardens primum congreſſum, atque oſcula prima
Virginis Auguſtæ ſalienti corde volutat.
Talis erat, tales animo voluebat amores
Sol olim, nondum primâ lanugine malas
Veſtitus, Luciſque novo jam captus amore:
Cum pater omnipotens auſpex, & pronuba Juno
Cœleſtes inter Divos, ac Numina ponti,
Ducebant teneram læta ad connubia Lucem.
Hæc Proteus. Nam jam fuſco velabat amictu
Nox Cœlum, radiis ſplendebant æquora Lunæ,
Tempus & in vitreas ſcopulo deſcendere ſedes.

DE

Digitized by Google

DE CONIMBRICENSI ACADEMIA

A SERENISSIMO LUSITANORUM REGE

JOANNE III.

Feliciter inſtitutâ

CARMEN.

REX erga Superos nulli pietate ſecundus
Joannes: Rex idem hominum, Pater optimus idem,
Oceani latè Dominus, quem Maurus & ipſe
Turca quoque, acceptâ geminâ jam clade, tremiſcit:
Primus ab hoc regno ſtatuit convellere crimen
Infidis abſtruſum animis, genteſque nefandas
Reſtituit Cœlo, tandemque agnoſſe coêgit,
Jam veniſſe Deum puræ de Virginis alvo
Natum, quo generi humano reſeraret Olympum.
Scilicet hic Arabes, Perſas, Garamantas, & Indos
Invictâ virtute domat, neque ſufficit unus
Orbis: Alexandrum ſuperans ignota triumphat
Littora, & ignoto dominatur claſſibus orbi.
His impune tulit nunquam ſeſe obvius hoſtis
In mediis arſurus aquis, his alta reſidunt
Æquora, dat ſignum Triton, quo pontus & undæ
Audito ſternuntur, adeſt in tempore totus
Nerei-

Nereidum chorus, ipſe etiam Regnator aquarum
Neptunus, proraſque trahunt, ubi ſydera deſunt.
Quin & jurati pelago dant proſpera venti
Flamina, eunt tutis victricia ſigna carinis.
Quid referam Divis erecta immania templa?
Utque novis undis ſitientem impleverit urbem?
Ardua marmoreis tercentum elata columnis
Machina præcelſis totidem ſe librat in altum
Arcubus, atque Eboræ ſic mœnia tranſilit urbis:
Stant moles: Veneri credas ſudaſſe Cyclopas,
Grande opus, aereis ductantur molibus undæ.
Jam qua juſtitiâ populos in pace gubernet,
Elatoſque potentum animos contundat, & imis
Eſſe pares faciat, quis digno carmine poſſit
Exprimere? Ad profugas converſa Aſtræa ſorores
Aurea ſub noſtro renovari Principe ſæcla
Aſſerit, & miros terrarum injectat amores.
Idem Lyſiadum Mavortia corda ſuorum,
Quo paci propiora forent, mollire triumphis
Inſtituit Sophiæ, & bellorum avertit amorem.
Nam qua ſe placido diffundit in æquora curſu
Munda inter virides campos, frondeſque Minervæ:
Qua volucres vario clementem gutture mulcent
Æthera, certatim replicat Philomela querelas,
Ingenti veteres ſumptu renovavit Athenas:
Eximioſque viros, qui ſacra arcana revelent,
Pontificum Decreta, & Legum ænigmata pandant:
Qui morbos abigant, qui Cælum, & ſidera monſtrent,
Imperat acciri: Merces proponitur illis
Magna; ſed eſt maior Regi placuiſſe benigno

Gloria.

Digitized by Google

Gloria. Complutum linquunt, & Thormidos undas:
Italiæ fines linquunt, Sequanæque fluenta:
Denique & Aoniæ linquunt Helicona Sorores.
Regia ſic docto Conimbrica vertice Cœlum
Tangit, & innumeris jam civibus aucta ſuperbit.

DE TABELLA IN QUA DEPICTA FUIT SERENISSIMI JOANNIS III. LUSITANORUM REGIS SOROR MARIA PRINCEPS AUGUSTISSIMA

EPIGRAMMA.

EXprimere ad vivum divinam Ollanda Mariam
Tentavit, raro dignum opus artifice.
Et talem expreſſit, qualis collata Dianæ eſt
A vate Alcinoi filia Mæonio.
Scintillare oculi ſtellatâ è fronte videntur,
Et micat in roſeo vividus ore decor.
Vultûs majeſtas eſt, cui faſtigia rerum
Deberi juſtâ cum ratione putes.
Quòd ſi Penelopes formam celeberrimus olim
Depinxit Zeuxis cum probitate ſimul:
Et felix manus Ollandæ monſtravit eâdem
Auguſtæ mores Virginis in tabulâ.

Deni-

Denique si posset mortali lumine cerni,
Hac facie Virtus conspicienda foret.
Nec tamen ostendi potuit satis illa venustas,
Qua toto visum est gratius orbe nihil.

ALIUD.

VT vidit Mariæ pictam Cytherea figuram,
Abstulit, & nato sic ait illa suo,
Scis, ut consortem jam dudum fata laborent
Huic Mariæ, & dignum vix reperire queant:
Pro pharetrâ, atque arcu solùm hanc fer, nate, tabellam:
Accedet titulis gloria summa tuis.
Unum etenim referes, sed summum, immane trophæum,
Captivo summi Principis imperio.

Epigramma ex Græco: cui mentionem mortis immaturæ chariſſimi discipuli sui Author inseruit.

MOrs, & Amor quondam tectum venëre sub unum,
Mixtaque in hospitio tela fuere simul.
Cùm nondum clarâ discessum luce pararent,
Mortis tela puer, Morsque tulit pueri.
Hinc juvenes occidit Amor, fallente pharetrâ:
Hinc Mors ipsa suos cogit amare senes.
Sic Didacus periit Stephanus, florentibus annis
Ereptus Musis, legibus, ac patriæ.
Quà Tagus auriferas latè dispergit arenas,
Et Divæ Eiriæ mœnia celsa vides:
Hîc juvenem oh! matris funus pietate gementem,
Heu heu lethali cuspide fixit Amor!

FINIS.

DIDACUS

Digitized by Google

DIDACUS MENDES
DE VASCONCELLOS,
Alterenſis.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
DIDACI MENDES
DE VASCONCELLOS.

IDACUS Mendes de Vaſconcellos in Opido, quod vulgò Alter *dicitur, & olim Elteri à Romanis vocatum fuiſſe conſtat, natus eſt Kalendis Maii anno vigeſimo tertio ſupra ſeſquimilleſimum, ut ille cecinit in quodam poemate, ubi ait:*

Antiqui retinens veſtigia nominis Alter
Dicitur, atque ſuo dictum quoque nomine cernit
Non procul opidulum ſaxoſi in vertice montis.
Hæc domus, hæc patria eſt, hæc incunabula noſtra
Hoc natale ſolum, prima hic exordia vitæ.

Digitized by Google

VITA.

Parentes habuit Gundisalvum Mendes de Vasconcellos, & Beatricem Pinheira, illum ex antiqua Vasconcellorum familia, tam in Africa, quàm in India moribus, ac viribus celebrem; hancque Clarissimi Viri Domni Gundisalvi Pinheiro Visensium Episcopi sororem, incomparabili virtute, singulari prudentia, & incredibili morum gravitate conspicuam. Adhuc infans sub avunculi tutella receptus, & liberaliter educatus, Eboræ primum, deinde Ulyssipone humaniorum litterarum studio operam navavit. Verùm cùm paulo ante avunculus amplissima legatione in Galliam missus fuerit, eum litteris accersitum ad se proficisci jussit, Bayonæque Acquitaniæ Urbi accedentem, paucis interjectis diebus, Burdigalam misit, ut ibi sub moderamine Andrææ de Gouvea, Lusitani, in celebri gymnasio tunc florentis versaretur. Biennio Burdigalæ commoratus, Bayonam ad avunculum perductus est; nec multo post ad Jurisprudentiæ studia capessenda Tolosam commigravit; in eaque nobili Academia Præceptores habuit Corasium, Monsabracum, Ferrerium, & Ferdinandum Berengarium, Pontificium, ac Cæsarium Jus interpretantes. Ibi aliquandiu degentem, Bayonam avunculus iterum accersivit, ac in Lusitaniam proficisci voluit, ut sororis satisfaceret desideriis. Igitur pervenit Didacus Cetobrigam, & post salutatam amitam, viduitatis ærumnis confectam, ad legalis scientiæ curriculum absolvendum Conimbricam profectus est. Per trium annorum spatium Martinum Aspilcueta Navarro, Cantabrum, & Antonium de Gouvea, Olyssiponensem, Illum Jus Civile, hunc que Canonicum interpretantes contigit audire. Placuit tamen avunculo illum inde avellere, & in Aurelianensem Academiam mittere; in qua Pamelii Belgæ Jurisconsulti magni

nominis

Digitized by Google

nominis familiaritate usus est. Deinde Lutetiam missus, Petrum Rebufum Jus Canonicum perlegentem audiit. Postea in Lusitaniam avunculum sequutus, à Joanne tertio, unà cum Jacobo Silvio Legationis Principe ad Concilium sub Julio tertio Pontifice Maximo redeintegratum missus est Tridentum. Post intermissionem Synodi Venetias secessit, ac Romam petivit, quam, mortuo Julio, brevique Marcello ejus successore, sufferloque Paulo quarto, cùm bellorum tumultibus agitatam videre minimè sustinuerit, Lusitaniam rediit. Hîc à potentissimo Rege Joanne benignè exceptus est, ab Eoque impetrata facultate, Eboram adiit, ad capiendam Canonicatûs possessionem, quæ sibi ex avunculi resignatione obtigerat. Eboræ diu commoratus, & Canonici, & Inquisitoris Fidei ab Henrico Rege creati munus exercuit; tandemque ad senium vergens, ubi die vigesima quarta Decembris, anno millesimo quingentesimo nono, supra nonagesimum, ultimum diem clausit, cùm 76 supra medium ætatis annum annumeraret, in Cathedrali quiescit. Gonsalus Mendes de Vasconcellos sequens posuit epitafium: Jacobo Mendes de Vasconcellos, Doctorali, hujus Ecclesiæ Canonico, & in hac Civitate Inquisitori Apostolico, atque utriusque Juris Consulto, humanarum literarum peritissimo Gonsalus Mendes de Vasconcellos Avunculo meritissimo posuit. Obiit anno salutis nostræ 1599, die 24 Decembris. Vir fuit insignis & eruditione, & doctrina, quas Europæ perigrinatione, præclarissimisque Academiis comparavit: Juris utriusque apprimè doctus; linguarum, præsertim Latinæ, peritissimus, ad Poesimque sublimi numine afflatus, quibus egregiis dotibus, ac virtutibus ita omnibus extitit charus, ut nemo fuerit, tam ex Regibus, & Dynastis

Digitized by Google

naſtis, aliiſque principibus viris, quàm eruditorum hominum cætu, qui illum non arcta familiaritate, quoad vixit, amplecteretur. Ejus Operum, de quibus liquidò conſtat, elenchum ſubjicimus.

DIDA-

Digitized by Google

DIDACI MENDES DE VASCONCELLOS

Operum Elenchus.

EPiſtola ad invictiſſimum Regem Philippum hujus nominis ſecundum, qua illius Majeſtati dedicantur Reſendii opera.

Vita Lucii Andreæ Reſendii.

Epiſtola ad Piiſſimum Regem Henricum.

Carmina in Laudem Reſendii.

De Antiquitate Civitatis, ſeu Municipii Eborenſis *liber unus.*

Vita ejuſdem Vaſconcellii à ſe ſcripta.

Epigrammata, aliaque poemata, Romæ in lucem edita.

Vita Gundiſalvi Pinarii Epiſcopi Viſenſis. Romæ.

Vita clariſſimi Viri Michaëlis Cabedii Senatoris Regii. Romæ.

Plura alia in Biblioth. Luſit. recenſentùr, pag. 676.

AU-

Digitized by Google

Digitized by Google

AUTHORUM
DE
DIDACO MENDES
DE VASCONCELLOS
Teſtimonia.

Ludovicus Sylvius de Brito, in laudem Antiquitatum Reſendii.

EPIGRAMMA.

EGregius forſan Zephyrus ſi flaverit ultrò
Cantat Olor finem, cùm ſcit adeſſe ſibi.
Vaſconcelle, tua hæc Cygnos imitata ſenectus
Facundo reſonum prompſit ab ore melos.
Sed miror, canum quòd ſic imitaris Olorem,
Dulcia Olorinæ guttura vincis avis.
Ille ſilet placidas, Zephyrus ſi denegat auras,
Tu, ſileat quamvis aura benigna, canis.

Digitized by Google

Emmanuel Cabedo de Vaſconcellos in Reſendii Opere.

EPIGRAMMA.

LUcius antiquam Patriam dum à morte pararet
Eripere, injecit invida Parca manum.
Sed moriens poſt ſe victura volumina liquit:
Hæc, Jacobe, tua perficiuntur ope.
Edis opus, ſic ille tibi dat morte carere,
Tuque illi, Patriæ gratus uterque ſuæ.

Lucius Andreas de Reſende.

QUam vim cuique ſua inſervit natura, vel ætas
Adſuefacta diu, ingenitam prope reddidit uſu,
Vertere difficile eſt, Bone Vaſconcelle, retrorſum
. . . . . .
Vaſconcelle, doles, ac per convicia crebra
Jam detrectantem, jam munia ſacra Minervæ
Exoſum revocare cupis, monumentaque rerum
Luſitanarum, medio jam deſita curſu,
Nec ſumam ad metam perducere turpe putabis
Debita jam Regi, Patriæ, ſtudiiſque, Tibique,
Quam mihi vel Juriſprudentia ſuma, vel ipſum
Eloquii geminum decus, & ſine labe furentis
Invidiæ, mones parilis vel candor utrinque
Nectit in abruptæ per mutua vincla catenæ.

Eduard.

Digitized by Google

Eduard. Nun. de Leon. de Ver. Reg. Portug. orig. fol. 3.

TAm omnium litterarum, quam juris ſcientiſſimus, & in carmine cum veteribus illis comparandus.

Ludovic. Pyrrhus in quadam Epiſtola, hæc ait.

ATtamen, ut mentis quæ ſit ſententia noſtræ
Eloquar; Aonides viridi tua tempora lauro
Cinxere, & teneris admorûnt ubera labris
. . . . . .
Quippe parem invenias nullum, vix neque ſecundum
Qui conferre pedem valeat, ſeu carmina culta
Scribere, ſeu cupis, &c.

Didac. Barboſ. Machad. in Bibliothec. Luſit. tom. 1. pag. 675. *hæc de illo.*

FOy inſigne cultor da lingua Latina, compondo neſte idioma, ou foſſe em proſa, ou em verſo, com tanta pureza, que parecia ter naſcido no ſeculo de Auguſto.

Id eſt.

FUit linguæ Latinæ inſignis cultor, tantaquè eo idiomate ſcripſit puritate, ut ſive ſoluta, ſive ligata diceret oratione, Auguſti ævo natus videretur.

Pater Antonius dos Reys in Enthuſiaſmo Poetico.

——————— Tuque Menæti,
Quem dedit, hoc tantùm titulo clariſſimus Alter
Pagus. ———————————

Digitized by Google

Digitized by Google

Petrus Perotti delin. *Hyeronimus Rossi Sculp.*

DIDACI MENDES DE VASCONCELLOS AD SERENISSIMUM PRINCIPEM ALBERTUM ARCHIDUCEM AUSTRIÆ S. R. E. Cardinalem

PANEGYRICUS.

Divino afflatus Salomon Rex numine vanas
Esse hominum dixit curas, & inania cuncta,
Relligione Dei exceptâ, quæ sola beatos
Efficere, æthereàque potest in sede locare,
Qui virtute duce, & factis præstãtibus ipsam
Rite colunt, veràque animi pietate sequuntur.

Id tu animo volvens, Princeps Alberte, Senatûs
Gloria Romulei, genus alto à ſanguine gentis
Auſtriacæ, & Mariæ Auguſtæ generoſa propago,
Illa fugis, quæ vulgus iners ſectatur, & acri
Affectat ſtudio, nec te de tramite recto
Flectit inutilium levis admiratio rerum:
Sed ſummi veneranda Dei præcepta ſecutus,
Regales inter ſtrepitus, dulcesque benignæ
Fortunæ illecebras, gaudes florentibns annis
Moribus eſſe ſenex, rigidumque amplexus honeſtum,
Pergis ad antiquos animum traducere cultus,
Non faſtu incedis tumidus, denſiſſima quamvis
Turba ſatellitii cingat latus, & tibi ſupplex
Seſe Nobilitas demittat ad oſcula dextræ.
Excipis humanè cunctos, nec deſpicis ullum:
Leniter affaris miſeros, inopesque benignis
Proſequeris donis, nec puro in pectore nævus
Ullus avaritiæ apparet, moresque pudicos
Perpetuo ſervans caſtæ moderamine mentis,
Ad decus, & veram pietatem accendere factis
Egregiis alios certas, operamque ſaluti
Communi impendis, ſic publica commoda curans,
Ut tibi non tantùm natus videare, tuisque
Privatim ſtudiis, hominum ſed factus in uſus.
Nec tamen impediunt te tanta negotia, quamvis
Undique circumſtent ingenti pondere rerum:
Quominus Aoniæ repetas commercia turbæ,
Pieridumque chorum, Phœbæaque caſtra frequentes.
Et modo Graiorum verſas munimenta diurnâ,
Nocturnàque manu, veteresque evolvis Athenas:

Nunc

Nunc Latium, & claros Italæ telluris alumnos
Adjungis Danaum genti, turbæque Pelaſgæ,
Attica Romanæ miſcens modulamina linguæ.
Unde tibi dulces fructus, requiemque labori
Quæris, & aſſiduis interſeris otia curis.
Hinc te magnanimus miratur avunculus, orbis
Maximus ille armis, Rex, ac pietate Philippus,
Teque ſibi ſocium caſus delegit in omnes,
Imperiique tibi latas commiſit habenas,
Lyſiadasque ſuos, qui te venerantur, amantque,
Fauſtaque cuncta tibi exoptant, quos inter, amore
Si certare licet, comitem me jungere primis
Non dubitem, ſtudio tua qui mandata fideli
Expediunt, veràque colunt te mente, tuique
Liminis aſſiduo pulſant celſa atria greſſu.
Sed pudor audendi parcus, tenuesque puſilli
Ingenii vires, quarum mihi conſcius ipſe,
Hactenus ignotum tibi me fecere, tuisque.
Ardua enim vitans, humilique hac ſorte libenter
Contentus cupio tranquilla per otia vitam
Ducere, & oppoſitas ſtudiis incidere curas;
Idque tibi gratum magis, & laudabile vitæ
Eſſe genus credam, quàm ſi me ætate ſenili
Urbis Ulyſſææ per compita celſa vagantem
Ambitio traheret, vulgi ſermonibus aures
Præbentem, ac procerum tectis, aulæque vacantem.
Non ea mens nobis, non iis mea convenit æras,
Quæ mihi vicenos jam ter quoque computat annos.
Hauſimus aſſiduos tria jam per luſtra labores
Dulci pro patriâ, pro relligione, ſacrisque

Legi-

Legibus, & Superûm impigrè defendimus aras.
Lampada tradidimus claris pietate, fideque
Et virtute viris, plebisque, equitumque, patrumque
Insolito applausu; scit me non vana referre
Hesperiæ pars magna plagæ, quam fluctibus ambit
Oceanus, liquidisque rigat Tagus aurifer undis.
Tempore jam ex illo privatam ducere vitam
Constitui, immotàque manet sententia mente.
Nunc tua me virtus, tua terris dedita fama,
Et morum eximius generoso in pectore candor
Hæc offerre tibi munuscula, Maxime Princeps,
Atque iterum doctas desueta ad carmina Musas
Sollicitare jubent, positumque resumere plectrum.
Nam velut Ætnææ Cereri sunt debita frugum
Munera, Cecropiam meritò sibi Pallas olivam
Vendicat, & dulcis suspenditur uva Lyæo;
Sic modulata piis debentur carmina vatum
Principibus, quorum cœlo nitet æmula virtus.
Ferte chelin, viridi præcingite tempora lauro,
Aonides, vos ille colit, studioque benigno
Et fovet, & teneris semper dilexit ab annis.
Salve magnorum titulis insignis avorum,
Gloria Pannonicæ, Princeps clarissime, gentis,
Cæsareæque Domûs, quam protulit Austria felix,
Austria Cæsaribus regio fœcunda creandis:
Qui verâ pietate animi, & victricibus armis
Imperii fines, maiestatemque tuentur.
Quos inter micat ingenti virtute Rodulphus:
Auspiciis cujus Romana potentia Turcis
Imponet fatale jugum, Scythicosque Tyrannos.

Ultra

Ultra Caucaſeas coget remeare paludes.
Ne certent, Alberte, tibi, cedantque Piorum
Nomina, quos tantis decorat veneranda vetuſtas
Laudibus, & meritis attollit Roma trophæis.
Cedat, & Iliacis qui ſacra, deosque ruinis
Eripuit, ſubiitque ſenem cervice parentem.
Non tibi deliciæ cordi, nec blanda voluptas
Allicit excelſam falſâ dulcedine mentem.
Sed neque duritiem morum ſectaris inanem.
Ipſe tui rigidus cenſor, placabilis illis,
Quos regis, egregio fidos tibi reddis amore.
Largus opum, rectique tenax, ſervator honeſti,
Summaque cùm rerum tibi ſit permiſſa poteſtas,
Sic tamen imperii moderaris fræna benigni,
Ut neque juſtitiæ ſacras tranſcendere metas,
Nec ſancita ſemel cupias infringere jura.
Macte animi pietate, Dei reverentia nulli
Altiùs infixa eſt menti, clementia nulli
Maior, & in leges nemo propenſior æquas.
Tu regni commune bonum, tu publica quæris
Commoda, tu claros doctrinæ laude, probosque
Eximiâ pietate viros complecteris, atque
Efficis, ut dignis ſint præmia certa, nec ullum
Ambitus, aut fallax rapiat fortuna favorem.
Te ſecura quies animi, tranquillaque mentis
Sedulitas reddunt, Princeps, ſervantque beatum.
Atque ubi Neſtoreos vitæ ſuperaveris annos,
Hæc tandem optato facient ſuccedere Cœlo.
Quò neque pyramidum moles, nec montibus altis
Impoſitæ ducunt munitis turribus arces,

Sed

Sed pietas, & priſca fides, atque ardua virtus.
Hæc ſatis ò dulces fuerit ceciniſſe Camænæ,
Vicinos Eboræ campos dum Sirius ardens
Urit, & æſtivas jucundè ducimus horas,
Meque fovet viridi gremio Silveria villa,
Quam gelidis fœcundat aquis Laurentius amnis,
Et nemus ingenti ramorum protegit umbrâ.
Tempus erit, venientque dies labentibus annis
Cum flavum Tiberim, & Romana palatia Princeps
Albertus triplici cinctus diademate frontem
Intrabit, magnâ Regum comitante catervâ,
Impoſitusque altè ſolio, plaudente Senatu,
Jura dabit populis, rutilâ quos lampade Phœbus
Luſtrat, & Oceanus liquidis circumfluit undis:
Tunc mihi, Pegaſides, veſtros penetrare receſſus
Fas ſit, & argutos haurire è fonte liquores:
Tunc mihi Mæonii vatis concedite plectrum.

DE

Digitized by Google

DE SUO EX EBORA DISCESSU

Anno 1577.

QUI ſemel infidi expertus diſcrimina ponti
Pertulit Ionias jactatâ nave procellas:
Si dubiis iterum committere carbaſa ventis
Cogitet, & portum, dulcesque relinquere terras:
Cuncta prius Cœlo circunſpicit aſtra ſereno,
Conſulit & Phœbi jubar, & naſcentia Lunæ
Cornua rimatur, pelagusque explorat, & auras,
Ne toties lacerâ diſcedat ab æquore puppi.
Sic ego, quem docuit longa experientia rerum,
Quàm fallax hominum mens, quàm mutabile vulgi
Judicium, quantis ſit vita objecta periclis,
Quàm levis humanos agitet diſcordia ſenſus,
Quos ſoleat fortuna ferox miſcere tumultus:
Otia divitiis Arabum potiora ſequutus,
Dulciaque amplexus privatæ commoda vitæ,
Exiguas Eboræ latebras, & ſordida rura
Prætuleram tumidæ titulis, & honoribus aulæ.
Hæc mihi grata quies, hæc meta optata laborum,
Quos patriæ verâ pro relligione, ſacrisque
Legibus, impigri bis ſeptem impendimus annos;
Hinc neque me precibus chari valuere propinqui
Hactenus aſſiduis abducere, nulla Cabedi
Juſta querela mei, dulcis nec cura ſororis,
Tavora nec vitâ nobis jucundior ipſâ,
Tavora Pieridum turbæ gratiſſimus heros,

Quem

Quem genuit clarus toto Laurentius orbe.
Quid? quoties fidi me corripuiſtis, amici,
Lenta quòd obſcurâ tererem piger otia terrâ,
Mœnia nec peterem felici condita Graiis
Omine, Tarpeias æquantia culmine turres,
Quà Tagus auriferas dives convolvit arenas,
Et Pater Oceanus placidis allabitur undis.
Deſinat ergo piis veſtra indulgere querelis
Pagina, nec verbis abſentem pulſet amaris,
O mihi Theſæo junctiſſima pectora nodo,
Pectora Cecropiæ ſtudiis addicta Minervæ,
Optime Caſtilli, tuque ò dulciſſime Sanci,
Quique animi Cycnos, Noni, candore nivales
Vincis, & antiquis, Ægnati æquande poetis.
En adſum, victusque manus do, meque fideli
Permitto arbitrio, veſtris ſervire paratus
Conſiliis, rupi retinacula dulcia, ſylvas
Liquimus, & ſolitos memet mihi reddere campos,
Illecebras, urbs alma, tuas, quam mœnibus altis
Cinxit, & ingenti ductu exornavit aquarum
Magnanimus quondam Sertorius exul ad oras
Occiduas veniens, populos cum excivit Iberos,
Signaque Romanis circuntulit obvia ſignis.
Hîc illum certos fama eſt habuiſſe penates,
Et proprios coluiſſe lares; hîc dulcia fixit
Limina, quæ, rapido belli ceſſante tumultu,
Incoleret, poſitis & ſæpe reviſeret armis,
Sive loci genio captus, ſeu gentis amore,
Vel quia ad eventus dubios, bellumque parandum
Apta foret regio, delectæ robore pubis,

Et

Et virtute virûm, vario quos marte probarat.
Salve magna parens frugum, fœcunda virorum
Salve altrix, nobis urbs ò gratiſſima ſalve,
Principibus dilecta viris, adamataque magnis
Regibus antiqui retinens monumenta decoris.
Maximus ille ducum, Romanæ gloria gentis,
Julius à Phrygio deducens nomen Iulo,
Cùm quateret terras armis, cùm ſidera famâ
Compleret, ſolusque orbis tractaret habenas
Te titulis, civesque tuos decoravit opimis
Muneribus, largâque manu largitus honores
Eximios, Latii tribuit tibi jura vetuſti.
Cæſaris hinc tibi crevit amor, cui marmora quondam
In medio manſere foro teſtantia laudes,
Egregiumque viri decus, à quo Julia dici
Gaudes, occiduas inter memorabilis urbes.
Septima nunc agitur nobis trieteris ab illo
Tempore, quo myſtas inter numerandus, & aris
Admiſſus Superûm ritè tua templa ſacerdos
Ingredior, ſervoque tuas, urbs inclyta, ſedes,
Nec nos indecores, nec mollis inertia tempus
Exhauſit, Fidei commiſſa eſt publica ſacræ
Cura mihi, ſanctique vigil cuſtodia juris.
Munere quo (liceat per te mihi vera profari)
Nec meliori animo fungi, nec purius ulli
Contigit, id norunt populi, quos Bætis, & Anas,
Quos Tagus, & Minius, quos ingens Durius ambit.
Nunc mihi luſtra decem, junctâ trieteride, complet
Canities, tardumque ſubit jam grandior ætas.
Jam tibi florentes vitæ conceſſimus annos,

Jam tibi pars noſtri conſumpta eſt lætior ævi:
Da veniam (precor) extremum ſi vendicat actum
Ipſa ſenecta ſibi, ſi me pia cura meorum
Avocat, urbs dilecta, tuis à mænibus, arcto
Hærentem amplexu, ceu blandæ altricis alumnum.
Me non ambitio ſtimulat, nec turpis habendi
Torquet amor, non invidiâ mihi pectus edaci
Carpitur, aut agitat mentem veſana cupido,
Sed patriæ pietas, & magni juſſa Sebaſti
Ad maiora vocant. Geticis truculentior urſis
Sævior Hircanâ ſit Tigride, cinctaque duro
Corda adamante gerat, qui te, fortiſſime Regum,
Non colat, ac tua facta probet, miretur, ametque,
O lux Heſperiæ, ò ſæcli ſpes unica noſtri,
Lyſiadumque inſigne decus, columenque tuorum,
Regni amor, ò verâ pietate inſignis, & armis.
Sidera dum cœlo ſtabunt, dumque aurea Phœbe
Noctivago liquidum circundabit æthera curru,
Et Sol flammiferis terras luſtrabit habenis,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
O illam mihi ſi tribuant pia Numina lucem
Cernere, cùm Libycis victor remeabis ab oris,
Celſaque Laurigeris properans ad templa quadrigis,
Debita ſupremo perſolves vota Tonanti.
Tunc me Pierii nemoris luſtrare receſſus,
Caſtaliosque avidè latices haurire juvabit,
Audiat ut claros patriæ me vate triumphos
Gens, quæcunque jacet gemino porrecta ſub axe:
Quà Tartheſſiacas Titan ſe condit in undas,
Quà rubet orta dies, & quà ſub ſidere Cancri,

Æſtuat

Æſtuat ardenti tellus damnata vapore.
Interea precibus Divûm pulſabimus aras,
Ut tibi felices ſummi Moderator olympi
Annuat, & lætis plenos ſucceſſibus annos,
Aurea labenti rurſus qui ſæcula mundo
Reſtituant, Pylii ſuperent & Neſtoris ævum.

HÆc cecini quondam lætâ modulante Thalia,
Integra cum regni ſtaret fortuna, decusque
Antiquum nullâ violatum clade vigeret,
Devictique Arabes, Perſæ, Garamantes, & Indi,
Innumeræque aliæ gentes ad ſidera nomen
Aurea Lyſiadum ferrent rumore ſecundo.
Tempore quo claſſem feſtino milite complens,
Fortia, ſed conſulta parum, Rex ſtrenuus arma
In Libycos fines, magnumque Atlanta parabat.
Acceſſi, & patriæ (cæli pia Numina teſtor)
Conſulere, ac dubiis volui ſuccurrere rebus.
Nam Regem admonui, levibus ne credere Mauris
Vellet, & infidæ ſeſe committere genti:
Armaque mandaret ducibus, quos grandior ætas,
Geſtaque per varios decorarent bella triumphos.
Quin etiam inſolitas auſus depromere voces,
Inclyte Rex, dixi, quo te rapit ardor, & alto
Inſita vis animo? quæ belli tanta cupido?
Ut dulci ſine prole velis juvenilibus annis
Ambiguæ tantum ſorti committere regnum?
Nec pius obnixis precibus te flectere Princeps
Henricus, nec fida tui conſulta Senatûs
Exorare queant, aviæ nec mixta querelis

Vos

Vox miſeranda tuæ, populi nec clamor ad auras
Sublatus, nec ſigna mali præſaga futuri?
Immo age, ſi firma tibi ſtat ſententia mente,
Invitisque paras cunctis tentare potentes
Ductores Libyæ, Numidisque ferocibus arma
Inferre, ac tantis caput objectare periclis.
Explicet ingentes tua Luſitania vires,
Impleat & Libycos numeroſo milite campos:
Signa canant, validæ coeant in prælia gentes,
Quà Minius ſecat arva vadis, per Limica rura
In mare Lethæas Belion quà fundit arenas,
Et rapidas convolvit aquas quà Tamaca præceps.
Bracara cur ceſſat veteres Auguſta colonos
Mittere? Calenſis denſas armare cohortes
Urbs paret, inſigni portu quæ nobile regno
Nomen, & auſpicium ſceptris donavit avitis.
Contia, cæruleis quam Durius abluit undis,
Et Siculæ certans vicina Brigantia meſſi,
Agmina certatim mittant, deſcendat ab altis
Montibus indomitus procero corpore miles,
Qui denſas, Amaranthe, tuas indagine ſilvas
Cingere, & informes proſternere cominus urſos
Gaudet, fulmineosque agitare in ſaltibus apros.
Qui juga Medulii ſcandit ſaxoſa nivoſi,
Callaicos noſtris populos quæ finibus arcent.
Nobilis invictas jungat Lameca cohortes,
Lanciaque Æmilii quondam defenſa favore
Arma ferat, populique ruant in bella feroces,
Qui Vacuam, Seliamque bibunt, Cudamque ſonantem,
Et per quas pulchro ſinuoſus flumine Munda
Tranſit,

Transit, ubi virides excelsa Conimbrica campos
Despicit, Aoniis sedes gratissima Musis.
Assuetam pelago generosa Talabrica pubem,
Æminiumque vetus, necnon Lancobrica mittant.
Adsit & Herminii durissimus accola montis,
Igedetæque duces, & cui Cava Julia nomen
Indidit, innumeræque urbes, quas Zeccarus ambit,
Et Tagus auriferis circunfluit undique ripis.
Scalabis extractos campo, & venatibus armet
Mille viros, ac jungat equis pernicibus alas,
Qui rapido cursu Zephyros, auraſque lacessant:
Hos Moro Callaici monumentum nobile Bruti,
Fraxineæque manus, & Arabica signa sequantur,
Quique Eburobritii campos, quique arva beata
Colliponis arant, & Cœlia rura juvencis:
Quique tenent Mindi nimbosa cacumina, quique
Ansidianæos saltus, Lunæque peragrant.
Adde tot egregias urbes, quæ littoris oras,
Oceanique tenent portus, quà Munda, Tagusque
Æquoreo dulces confundunt gurgite lymphas:
Quas inter profugi sublimi vertice Ulyssis
Mœnia consurgunt, septenis æmula Romæ
Collibus, & priscis Nili certantia Thebis.
Unde tibi variis exercitus integer armis
Conscribi (tanta est numerosæ copia gentis)
Possit, & innumeris consterni navibus æquor.
Arma, virosque ferox ratibus Cetobrica mittat
Quam rutilâ cingit constructus Jaspide murus,
Raraque nobilitant piscosi stagna profundi,
Callipodis vasto miscentur ubi ostia ponto.

Huic

Huic vetus Aritium, & vicina Salacia jungant
Agmina, Meroarigæque viri, & qui herboſa patentis
Orichii multo tondet grege Turdulus arva.
Oppida quid referam ſacro contermina monti,
Unde patet Libycas facilis trajectus in oras,
Fortis ubi pelago, Martique aſſueta juventus
Infeſtos arcet patriis à finibus hoſtes?
Balſa potens equitum mittat, peditumque maniplos,
Et Pharus Oſſonobæ veteris ditata ruinis.
Clarus & Annibalis portus, Lacobrigaque audax,
Et populi, quos pulcher aquis perlabitur Anas.
Quos inter ducat bellacem Julia gentem
Myrtilis, armet equis denſas atque ære catervas
Julia Pax, quam Serpa ferox, & Aruccia dives,
Vicinæque urbes aliæ, quæ vomere putres
Proſcindunt glebas, & pinguia rura, ſequantur.
Quid tibi felices Eboræ, Rex maxime, cives,
Et validas memorem gentes, quas continet amplo
Urbs populoſa ſinu, atque excultis educat agris?
Cujus & innumeræ victricia ſigna ſequentur
Vicinæ junctis inter ſe viribus urbes,
Helviaque ante omnes urbs inſuperabilis armis
Agmen aget, fortes ducens in prælia gentes,
Quæ pictis volitant in equis, & cuſpide gaudent
Hoſtilem Mauri, Numidæque haurire cruorem.
Hæc Vetonum terris, atque Anæ proxima, quondam
Celtica gens dicta eſt, contingens jure propinqui
Sanguinis Arotebras, qui Nœria rura colebant
Obliti à ſociis Limæi ad gurgitis undas:
Unde novo fluvium dixerunt nomine Lethem.

Parte

Parte aliâ mittet validas Amæa cohortes,
Claraque plumbiferis antiqua Medobrica venis,
Quà medium ſpectant frondoſa cacumina Solem
Montis Arameni, varias qui vertice gentes
Circuit, & claras gremio complectitur urbes:
Herminium dixere prius, mox ſæcula nobis
Proxima in Armenium nomen vertère vetuſtum.
En tibi Lyſiadum regio devota tuorum,
Terra armis, opibusque potens, atque ubere glebâ,
Clara viris, clara in Superos pietate, fideque:
Hinc delecta manus juvenum, per cœrula ponti,
Littore ab occiduo ſolvens penetravit ad ortus
Phœbæos, Gangemque Tago ſervire coegit.
Hæc quondam Alphonſos (felicia nomina) Reges
Protulit, atque alios, factis qui ingentibus orbem
Complerunt, hæc te, Regum fortiſſime, nobis
Edidit, auſpiciis cujus victricia ſigna
Ultra anni, cælique vias, ultra æquora Nerei
Proferet, & Libycis latè dominabitur oris.
Tu modò conſiliis animum ſubmittere celſum
Ne dubita, populosque tibi ſervire paratos
Duc tecum, & Regum ſectare exempla priorum,
Qui, quoties Libycos ferro petiere penates,
Innumeras ſecum peditumque equitumque catervas
In caſtris duxere ſuis: cur agmine parvo,
Et paucis comitatus abis? cur plena relinquis
Oppida clara viris? qui, te bellante, recuſant
Ignavo torpere ſitu? legionibus auge
Agmina, denſentur magnis equitatibus alæ:
Non eſt cum modicâ bellum tibi gente gerendum,

Punica

Punica regna petis, urbes, populosque potentes,
Fluminaque, & latis diſperſa magalia campis,
Undique frondoſo quæ vertice maximus Atlas
Cingit, & Oceanus rapidis circumtonat undis.
Illic infrænes Numidæ, Maurique feroces,
Barcæique truces habitant, Getulaque bello
Gens aſſueta, avidos vincens feritate leones.
Mille tibi occurrent acies, mille agmina campis
Diſcurrent, ferientque altis ululatibus aſtra,
Totaque cornipedum fremitu tremet Africa tellus.
Finieram: cùm blanda mihi reſponſa ſereno
Ille refert vultu, ac placido ſic incipit ore.
Grata quidem ſemper mihi ſunt tua dicta fideli
Deprompta ex animo, ſed ſtat ſententia claſſem
Solvere, & in Libyam ventis dare vela ſecundis,
Inque fidem noſtram Regi, gremiumque recepto
Promere opem, regno qui nunc ſpoliatus avito
Exulat, & noſtras ſupplex confugit ad urbes,
Herculei cingunt quas clauſtra anguſta profundi.
Adde quòd innumeras Maurorum invadere turmas
Cum paucis noſtrum eſt, ſic prœlia plurima quondam
Maiores geſſere mei, ſpretisque periclis,
Lyſiadum claris decorarunt ſceptra trophæis,
Dum pia bella gerunt pro Chriſti nomine, & aris.
Nil formidandum eſt, Chriſto duce, & auſpice Chriſto.
Sic ait: at patriæ mihi mens ardebat amore,
Et dubios caſus, ac certa pericula cernens
Anxia ſollicitis cruciabar pectora curis,
Et magnum exitium regno, Regique timebam.
Quare iterum monitis, iterum tentare precando

Aggre-

Digitized by Google

Aggredior, dictisque animum mulcere ferocem.
Sed Deus omnipotens, mundi qui sidera torquet,
Offensus nimiâ scelerum gravitate, luenda
Decrevit commissa illo sub Principe gentis
Lysiadum, & meritas sumpsit pro crimine pœnas.

CUM PATRIAM LONGO tempore à se non visam adiret Anno 1580.

ASpicione tuas, tellus dulcissima, sedes?
Dilectos video campos, adamataque rura?
Agnosco vitreos fontes, rivosque perennes?
Nosco domũ antiquam,& cunabula chara saluto?
An mihi sese offert fallax, & inanis imago,
Quæ velut in somnis rerum simulacra figuris
Effingit variis, mentemque eludit, & alto
Membra sopore madent curis agitata diurnis?
An vigil, & vero discernens omnia sensu,
Aspicio natale solum, dulcesque penates
Cerno meis oculis, qui nos in luminis auras
Excepere, olim vagitûs conscia primi
Tecta libens subeo, teneris ubi lusimus annis?
O felix, niveoque mihi signanda lapillo
Lux optata diu, reliquo jucundior ævo,
Carminibus celebranda meis, redituraque fausto
Omine, quæ nobis tot gaudia contulit uno
Tempore, confectum curis, ægrumque, senemque,
Cum post lustra decem, binâ trieteride junctâ

Digitized by Google

Dulcis amor ſubiit patriæ, nec noſtra fefellit
Vota, ſed optatâ ſimul ac veſtigia terrâ
Fiximus, & Cœli ſeſe obtulit aura benigni,
Continuò membris rediit vigor, illaque mentis
Abſceſſit nubes, nec jam amplius ulla fatigat
Corda dolor, curæque graves, gemitusque recedunt.
Ipſe loci genius, patriæque aſpectus amœnæ
Triſtia depellunt animo ſuſpiria noſtro.
Ut juvat oblitos longo jam tempore fines,
Mutatosque videre locos, ubi dulcia quondam
Parvulus innocuæ capiebam gaudia vitæ.
Salve ò Cœlicolum nutu mihi debita tellus,
Vosque iterum chari nobis ſalvete penates.
Salve nobilium nutrix fœcunda virorum,
Clara armis, clara ingeniis, & fortibus auſis.
Non ego te cunctis dubitem præponere terris,
Sit licet exiguus populus tibi, lætaque curvo
Vomere non multi proſcindant arva coloni.
Fallitur egregias quiſquis ſibi vendicat urbes,
Ut tenuem falſo patriam permutet honore.
Omne ſolum fortes producit, parvaque claros
Oppida ſæpe viros generant, nec mœnibus amplis
Fidite, nam ſcelerum fautrix ibi regnat Erynnis:
Ambitione, dolis, turpique libidine, & irâ
Magnificos intra muros peccatur, & iſtæ
Rariùs exiguâ peſtes dominantur in urbe.
Quid? quod cæca vices mutat fortuna, ruuntque
Imperia, & regnis veniunt ſua fata, nec urbes
Certâ ſede manent, ſed quas modò læta benigno
Sors complexa ſinu fovet, olim obſcura fuerunt

Oppi-

Oppida, vel tenues ullo ſine nomine terræ.
Quas verò quondam fortunæ ad ſidera flatus
Extulit, & totum vulgavit fama per orbem,
Nunc ſine honore jacent, aut illas denſa tenebris
Nox tegit, & veterum premit alta oblivio rerum;
Tu neque præteritis jacuiſti ignobilis annis,
Nec modò poſtremas inter numeraberis urbes,
Felix ſorte bonâ, medium cui contigit omni
Tempore ferre locum, magnis licet impar, at imis
Maior, & adverſis vix unquam obnoxia fatis,
Seditione carens, ſervatrix juris, & æqui,
Civibus innocuis florens, probitateque morum,
Sponte ſuâ populum, non vinclo, aut legibus æquum
Diligis, & priſco veterum ſe more tenentem.
Te colit alma Ceres, curvis tibi ſudat aratris,
Non ignara operum, campoque aſſueta juventus.
Luxuriat fœcundus ager, tum paſcua læta
Mille greges ovium tondent, molliſſima quarum
Vellera Mileſiis fama eſt vix cedere lanis.
Te Bromius, te Pallas amat, tibi dulcia frugum
Munera inexhauſto diffundit copia cornu.
Fontibus irriguis, & amœnis nobilis hortis,
Præ cunctis, quas pulcher Anas, quas aurea cingit
Unda Tagi, tibi vicino qui labitur amne.
Quid memorem geniumque loci, molemque ſuperbam,
Arcis, & excelſas valido fundamine turres?
Quarum quæ radiis Phœbi eſt objecta cadentis,
Ardua in aereas tendit ſic vertice nubes,
Ut plano conſtructa loco licet aurea pulſet
Sidera, & æthereas intrent faſtigia ſedes.

Templa

Templa quid, & poſitas Diis immortalibus aras?
Spiritus alme tibi, nec non tibi regia Virgo,
Quas verâ pietate colunt, celebrantque nepotes,
Immotàque manent in relligione parentum?
Sed quid ego ingratas tacito tibi nomine laudes
Ingero? & antiqui dubito monumenta decoris
Promere, nec vulgata prius, nec cognita multis,
Arcanumque aperire decus, longæva vetuſtas
Quod tibi Romano ſub Principe contulit, omnes
Qui terræ tractus, urbesque, ſitusque locorum
Deſcribens, totum tabulis complectitur orbem,
Quà Latii fines regni produxerat armis
Gens animoſa ſui ſervans præcepta Quirini.
Proh dolor! ah quantum damnoſa licentia juris
Vendicat in veterum libros, antiquaque rerum
Nomina! præcipuè verò tuus undique Cæſar
Innumeris maculis ſcatet Antonine Libellus.
Atque utinam noſtro quiſquam exoriatur in ævo,
Qui priſcum tibi reſtituat, reddatque nitorem.
Ergo ubi ad Emeritæ clariſſima mœnia quondam,
Tres ab Ulyſſæis diverſo tramite muris
Aſſerit eſſe vias, varias quibus adiicit urbes:
Ex illis unam Cæſar vocat ELTERI, quæ nunc
Antiqui retinens veſtigia nominis ALTER
Dicitur, atque ſuo dictum quoque nomine cernit
Non procul oppidulum ſaxoſi in vertice montis.
Hæc domus, hæc patria eſt, hæc incunabula noſtra,
Hoc natale ſolum, prima hîc exordia vitæ
Sumpſimus, & ſuperas vagitu excepimus auras.
Sed poſt Matuſarum rectâ ratione locari

Debuit,

Digitized by Google

Debuit Aritio Emeritam properantibus amplam.
Aritium vulgo Beneventum dicimus, unde
Per mare Ulyſſeam brevis eſt trajectus ad urbem.
Matuſarum reor eſſe, amnis quod Suboris unda
Alluit, oppidulum, Sori modo nomine Pontis
Nobile, Romani veſtigia tramitis alto
Aggere, & inventis ſervans per rura columnis.
Sed collapſa jacent veterum monumenta ruinis
Obruta perpetuis, dumisque, & ſentibus altis
Obſita, confractisque notis, & torrida flammis.
Multa tamen noſter Reſendius abdita profert
In lucem, & vigili veſtigans ſingula curâ
Antiquum decus, & priſcos tibi reddit honores,
Lyſiadum gens clara, viro quam debita tanto
Præmia, vix reor exhauſtis perſolvere arenis
Poſſe Tagi, aut vectis Eoo ab littore gemmis.
Sed gravis invidit fati inclementia cœptis,
Reſendi præclare, tuis, & funere quamvis
Non immaturo raperis poſt longa ſenectæ
Tempora, & exactos ſæclis melioribus annos:
Attamen & patriæ, & charis lugendus amicis
Semper eris, mihi præſertim, qui Principis olim
Henrici juſſu, & precibus, tua ſcripta lituris
Illita, & extremam limæ poſcentia curam
Excepi, ne tot fruſtra periiſſe labores
Ingemeret ſtudioſa cohors, cui volvere curæ eſt
Antiquam gentis ſeriem, monumentaque noſtræ
Sed quis Apelleæ Veneris depingere vultum
Audeat, atque rudi tabulam contingere dextrâ?
Difficile eſt, fateor, ſpem tantam haud fallere vulgò

De

De te conceptam, longè cùm viribus impar
Ingenii, tantâ vi ponderis ipſe fatiſcam.
Si tamen annuerint noſtris pia Numina votis,
Quid patriæ pietas, chari quid poſſit amici
Verus amor, (nobis maneat modò vita ſuperſtes)
Oſtendent tua ſcripta meo ſervata labore.

IN LAUDEM CLARISSIMÆ Civitatis Ulyſſiponenſis

Hendecaſyllabi.

Anno 1575.

SAlve Urbs occidui orbis imperatrix,
Regina Oceani procul ſonantis,
Verè Urbs regia, Regibusque grata,
Salve hujus columen, caputque Regni,
Magnarum decus urbiumque ſalve.
Illuſtris Tagus aureis arenis,
Bæti nobilior, ſimulque Ibero,
Atque Anâ, Minoque, Durioque
Ægæo ſimilis Tagus profundo,
Certans Ionio Tagus patenti,
Nec cedens Tagus Adriæ ſonanti,
Per tot magnificas vagatus urbes,
Claris amnibus hinc, & inde raptis,
Se totum gremio tuo recondens,
Te ripis beat, atque agro feraci

Fruges

Fruges undique convehit ſalubres,
Portu nobilitat ſinum capaci,
Ingentes gerit alveo carinas,
Quæ ponto dominatur, & per undas
Immenſi Oceani vagantur, oras
Eoasque petunt, bibuntque Gangem:
Quas & Sol oriens videt, cadensque
Et cum ſe medio ſub axe librat,
Miraturque parem ſuis quadrigis
Curſum conficere, ut tibi potentes
Submittant Arabum, Indiæque Reges.
Salve Urbs maxima, quæ foves benigno
Complexu, ad tua tecta commeantes
Diverſo innumeras ab orbe gentes.
Te Germanus amat, petit Britannus,
Hybernus colit, & lari paterno
Præfert Gallica natio, tuisque
Sedes figere mœnibus laborat.
Te multâ rate Cantaber frequentat
Effoſſum chalybem ferens, & altas
Silvas Aſtur alit tuos in uſus,
Et Gallæcia portuoſa nudis
Gaudet montibus, ut tuis onuſtas
Puppes navita mercibus reportet.
Dives Bætica nobili metallo
Te cunctas veneratur inter urbes.
Miratur Venetæ ratis magiſter,
Etruſcus, Siculus, Ligurque complent
Portum claſſibus, & beatiorem
Terris omnibus eſſe te fatentur.

Quis

Quis præconia, quis queat tuarum
Dicendo cumulum explicare laudum?
Haud noſtræ genius valet Thaliæ
Tantæ pondera ſuſtinere molis.
Id præſtare tibi mei Cabedi
Felix muſa poteſt, parem vetuſtis
Quem Cetobrica protulit poetis,
Felices ubi Jaſpidum colonos
Piſcoſi ſinus alluit profundi:
Huic altam tribuit Minerva mentem
Dulci pectora condiens lepore,
Excultum eloquium dedere Muſæ
Miſcentes Latiis ſales Pelaſgos:
Phœbus plectra dedit, quibus Maronem
Donarat, Colophoniumque vatem:
Hauſit Cæſarei fluenta juris
Puris fontibus, omniumque nodos
Legum ſolvere vel Papiniano
Novit rectiùs, elegantiùsque:
His ad purpurei gradum Senatûs
Evectus meritis, proboque magni
Regis judicio, diuque claro
Functus munere, clariore famâ:
Nunc inter celebres honore Patres
Verſatur populis tuis regendis,
Quos ipſa auſpicio bono creaſti,
Priſcis Romulidûm pares Tribunis.

CUM

Digitized by Google

PHILIPPUS II.
HISPANIARUM REX
Eboram ingreditur.

EPIGRAMMA.

MÆnibus hanc olim validis Sertorius urbem
Cinxit, & irriguis nobilitavit aquis.
Julius egregio Cæſar dignatus honore
Civibus antiqui jura dedit Latii.
Strenus invictâ Mauris virtute Giraldus
Eripuit, populo reſtituitque pio.
Qui modò murorum complectitur ambitus urbem
Fernandi Regis nobile fertur opus.
Colapſum ſenio ductum inſtauravit aquarum
Joannes, Eboræ captus amore ſuæ.
Inſignes alii diverſo tempore Reges
Certatim hanc donis excoluere ſuis.
Quæ nunc hoſpitio magni decorata Philippi
Vertice ſublimi ſidera clara ferit:
Atque ait: Hæc fuerit votorum ſumma meorum,
Nil, quod poſteritas addere poſſit, erit.

Digitized by Google

DE ÆNEO SERPENTE *aquam ore ejaculante.*

EPIGRAMMA.

ARboris amplexu juſſit me docta Cabedi
Cura frui, & liquidis ora rigavit aquis.
Sic neque frigoribus, nimio nec lædor ab æſtu,
Grataque ſunt omni hæc tempore rura mihi.

Aliud.

EPIGRAMMA.

NUllæ hîc inſidiæ, greſſum quid contrahis hoſpes?
Tactaque ſunt ſubito cur tibi corda metu?
Me licet erecto minitantem vulnera collo
Finxerit artificis ingenioſa manus,
Eripuit tamen ingenium, viresque nocendi,
Fundere & innocuas gutture juſſit aquas.

Aliud

Aliud.

EPIGRAMMA.

PErvigil Heſperidum vetitis errabat in hortis,
Inque omni ſerpens arbore terror erat.
Fundit inexhauſto noſter tibi gutture lymphas,
Lætaque fœcundis imbribus arva rigat.
Illic dura gravi crepitabat ſilva metallo,
Malaque ditabant ambitioſa nemus.
Hinc faciles tibi ruris opes, hinc mitia poma,
Hinc licet intrepidâ pocula ferre manu.

EX GRÆCIS

Epitaphium feminæ cujuſdam in modum dialogi.

EPIGRAMMA.

QUod nomen tibi, quæ latitas ſub marmore? Præxo:
Quo patre? Callitele: qua patriâ orta? Samo:
Cujus ſponſa? viri, cui me junxere parentes:
Quæ mortem invexit cauſa? Puerperium:
Quod vitæ ſpatium? Luſtris ſi quattuor annos
Addideris binos, hæc mihi meta fuit.
An ne etiam dulci raperis ſine prole? reliqui
Filiolum trimum, nomine Callitelem.
Creſcat, & optatos feliciter exigat annos,
Et tibi dent Superi proſpera cuncta, precor.

Hectoris

Digitized by Google

Hectoris Troiani Epitaphium ex Græcis.

EPIGRAMMA.

URna patrem, patriamque refer, nomenque sepulti:
His genus, & causam funeris adjicito.
Huic Priamus pater est, domus Ilion, Hectora dicunt,
Pro patriæ pugnans mœnibus occubuit.

In Laudem Balnei ex Græcis.

EPIGRAMMA.

LOtophagos haud est vatum mentita priorum
Fabula, nam faciunt balneola ista fidem.
Si quis enim semel hîc liquidâ se asperserit undâ,
Non patris, aut patriæ languet amore suæ,

In

In Feminam Spartanam ex Græcis.

EPIGRAMMA.

DUm genitrix, medios quos ipsa immisit in hostes,
Octo uno natos conderet in tumulo:
Haud fundens lacrymas, gemitumve in funere, solùm
Dixit: Jo, hæc peperi pignora, Sparta, tibi.

Epitaphium cujusdam ex Græcis.

EPIGRAMMA.

NE mea, qui transis, accuses fata, viator,
Nil etiam moriens dignum habeo lacrymis.
Natorum liqui natos, æquæva mihi uxor
Una fuit, natas tres thalamo pepigi:
Ex quibus, ipse sinu gestavi sæpe nepotes,
Nullum ægrum, nullum luximus exanimem,
Quorum operâ illæsus, dum somnus blanda foveret
Lumina, sum sedes missus ad Elysias.

Digitized by Google

In Pugiles ex Græcis.

EPIGRAMMA.

HIc qui nunc pugil eſt inſignis Olympicus, olim
Auriculas, naſum, mentum, oculos habuit.
At poſtquam factus pugil eſt, hæc perdidit armis,
Et bona defuncti nulla parentis habet;
Namque ejus certat dum frater imagine, judex
Diſſimilem, atque alium credidit eſſe virum.

Aliud.

EPIGRAMMA.

ESt tibi, Apollophanes, par cribro, imisque papyri
Partibus, exedit quas pigra blatta, caput,
Formicæque foraminibus, Lyricisque figuris,
Lydia quas olim, quas habuere Phryges.
Nunc ergo intrepidè nudum caput objice ferro,
Haud ullum inveniet jam nova plaga locum.

Pro

Pro foribus Xenodochii ex Græcis.

EPIGRAMMA.

CHarus uterque mihi civisque, hoſpesque: rogare
Unde? quis? aut cujas? lex vetat hoſpitii.

AD CAROLUM EMMANUELEM SABAUDIÆ PRINCIPEM

Tabellas expunctorias, & alia munuſcula dono mittit.

EPIGRAMMA.

ACcipe nunc vacuas, Princeps Auguſte, tabellas,
Pignus amicitiæ, mnemoſynonque meæ.
Forſitan & ſcriptas (faveant modò Numina cœptis)
Accipies, & te pagina noſtra canet.
Invidaque heu! quoniam rapuerunt fata Sebaſtum,
Dulce decus muſæ, præſidiumque meæ:
Tu mihi Mæcenas, & eris mihi, Carole, Cæſar,
Serviet & laudi noſtra Thalia tuæ.
Interea magni veſtigia celſa Parentis
Ingredere, atque Atavûm fortia facta refer.

Carmina

Digitized by Google

Carmina Dionysii de situ Orbis Latinè reddita.

TOt nempe insignes populos latissima tellus
Continet, ast alii innumeri sunt, nomina quorum
Scire nec humani est facti, nec dicere promptum:
Sed soli fas nosse Deo, cui cuncta volenti
Perfecisse datur, qui prima exordia mundi
Componens more artificis pugnantia solvit
Semina, distinxitque suis elementa figuris.
Ille maris monstravit iter, pelagique negatas
Scire vias, secuitque cavis liquida æquora velis,
Unde tot humanæ manarent commoda vitæ.
Sidera quin etiam cœli partitus in omnes
Ipse plagas, quibus arbitrium terræque marisque
Sorte datum, propriasque habeant ut singula formas.
Unde fit, ut variis colluceat ignibus æther,
Nec facies eadem sit stellis omnibus, album
Sed referant aliæ radiis, reddantque colorem,
Hæc nigris maculis obtusior, illa rubenti
Lumine flammiferos subfunditur aurea vultus.
Utque inter sese variant, sic turbine cæco,
Fluctuat incertis & casibus anxia vita.
At tu, terra, vale, seu longè dissita ponto,
Seu pelago vicina jaces, seu cingeris undis
Undique, vos fluvii, vos Oceanitides auræ,
Littoraque, & liquidi fontes, saltusque valete.

Jam

Jam maris undoſi vaſtum percurrimus æquor,
Vidimus & clauſos dubiâ tellure receſſus.
Reſtat, ut à Superis pro carmine præmia nobis
Proveniant, erit ipſe Deus mihi maxima merces.

In quibus locis ipſe Auctor degere cupiebat.

EPIGRAMMA.

SInt hiberna mihi dilectæ prædia villæ,
Cetobris æſtivo tempore certa quies.
Felices Eboræ campos, adamataque nobis
Autumnus primis mœnia reddat aquis.
Vere novo liceat diverſas viſere terras,
Et loca Romanis olim habitata viris
Plurima, quæ noſtrâ ſunt in regione, vetuſtis
Quæ paſſim oſtentant marmora ſcripta notis.
Hæc mihi ſi tribuant Superi, non Lydia ſceptra
Optarim, aut Tyrii Pygmalionis opes.

In Pigrum ex Græcis.

EPIGRAMMA.

SIlvanus geminos natos, ſomnumque, merumque
Diligit, amplexu perpetuoque fovet.
Præ quibus & fidos demens contemnit amicos,
Deſerit & Phœbi, Pieridumque chorum:
Horum alter largo patrem, dulcique liquore
Implet, inexhauſtis exhilarans cyathis.
Mollibus in ſtratis alter, thalamoque jacentem
Detinet, & blando membra ſopore gravat.

Digitized by Google

Epitaphium Chriſtophori da Gama, qui in Æthiopia ſupra Ægyptum pugnando occubuit.

EPIGRAMMA.

EOi domitor genuit me Gamius orbis,
Sed non virtuti fama paterna ſatis.
Me juvenem patriis pugnantem vidit in armis
India, cùm Fratri paruit illa meo.
Unde per ignotas gentes cum milite, rubrum
Trans mare Chriſticolis miſſus in auxilium
Æthiopum populos, Chriſti qui Numen adorant;
Quique bibunt fontes, inclyte Nile, tuos,
Eripui Turcis, Arabumque tyrannide pulſâ,
Reſtitui Regi regna paterna pio.
Mox ubi clara tuli devicto ex hoſte trophæa,
Cæſaque ſunt parvâ millia multa manu,
Occubui multis confoſſus pectora telis,
Sed bene quòd comites non cecidere mei.
Cætera cognoſces ex hoſtibus, illa licebat
De ſe Chriſtophoro dicere, plura nefas.

Digitized by Google

Ad Petrum Sancium virum virtute, & eruditione clarum.

EPIGRAMMA.

PYrrhus noſter amor, tuique, Sanci,
Abſentis memor, intimo, pioque
In te pectore nemini ſecundus:
Pyrrhus Caſtalidûm decus Sororum,
Pyrrhus Pæoniâ decorus arte,
Gratam nomine mî tuo ſalutem
Reddens, dulciloquum ſimul venuſtè
A te compoſitum obtulit poema,
Quo vix dulcius, elegantiusve
Quidquam pangere vel queant Camœnæ;
Nam dilemmata pulchra ſic figuris
Exornata nitent, ut arte mirâ
Eois rutilat monile baccis
Diſtinctum, aut viridi hinc & inde gemmâ.
Rebus conſona verba ſponte manant,
Queis tantus ruis, ut fluente venâ
Admiſcens Latio Atticos lepores
In morem rapidi vageris amnis,
Imbres cùm bibit, & nives ſolutas.
Unum ſed queror, & ſubinde damno
In tam ſplendidulis, venuſtulisque,
Sanci, verſiculis: quòd infacetum
Sæclum hoc, inſipiensque, & invenuſtum
Laudant, quod meritis tuis referre
Neſcit præmia digna, nec diſertis
Secernit ſtupidos, & imperitos.

De

De Natali ſuo die, qui Kalendis Maij contigit.

EPIGRAMMA.

SAlve læta Dies, qua primùm luminis auras
Hauſimus, & vitæ ſumpſimus auſpicium.
Pulchra Dies, toto qua nulla eſt pulchrior anno,
Divorum gemino fulta patrocinio,
Sis felix, & fauſta mihi, multosque per annos
Maiori ſemper lætitiâ redeas.
Per te læta viret tellus, & lucidus æther
Ridet blandiſonis luxurians zephyris;
Frigora miteſcunt, placidum ſilet æquor, & auræ
Leniter impellunt lintea Threiciæ:
Gramine rura virent, & gemmea prata colores
Mille trahunt, montes frondea ſilva tegit:
Dulce ſuſurrat apis, ludunt in vallibus agni,
Mugitus edunt lata per arva boves:
Læta viget rerum facies, animosque jacentes
Excitat, & curas, mœſtitiamque fugat.
O me felicem! naſci cui contigit illo
Tempore, quo nullum pulchrius annus habet.
Sed verè eſt felix ſapiens, qui tempora vitæ
Dirigit ad Summi Numinis obſequium.

Digitized by Google

De usu divitiarum ex Græcis.

EPIGRAMMA.

UTere divitiis tamquam moriturus, eisdem
Parce, velut vitæ sit mora longa tuæ.
Ille sapit verè, qui cùm hæc cognoverit, æquum
Inter utrumque potest constituisse modum.

In Avarum ex Græcis.

EPIGRAMMA.

MUrem Asclepiades in tectis vidit avarus,
Musque quid in nostris ædibus, inquit, agis?
Cui Mus subridens respondit: amice, timere
Desine, non victum hîc quæro, sed hospitium.

Aliud

Aliud in eundem.

EPIGRAMMA.

SUnt tibi divitiæ multæ, ſed pauperis eſt mens:
O ſucceſſori dives, inopsque tibi!

In foribus Templi S. Antonii Ulyſſipponenenſis Romæ.

EPIGRAMMA.

ANtoni, noſtri Generis decus, Orbis Iberi
Gloria, Dulichiæ Gentis, & urbis honos:
Sæcula te nobis debent, licèt utraque certet
Heſperia, hæc obitus vendicat, illa genus:
Adſis Lyſiadum rebus, Regique Philippo
Cæſareo, magni principis & genio:
Adſis, & clemens nobis, ſi ſæpius ipſi
Sincerè colimus hæc tua templa, fave.

FINIS.

MI-

Digitized by Google

MICHAEL DE CABEDO

Senator Regius

CETUBALENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAEL
DE CABEDO,
SENATOR REGIUS,
Cetubalenſis.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
MICHAELIS
DE CABEDO,
SENATORIS REGII,
Cetubalenſis.

Ichael de Cabedo, cognomine à Proavis deducto clariſſimis, natus fuit Cetobrigæ anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. Patrem habuit Doctorem Georgium de Cabedo, Matrem Thereſiam Pinheira, Viſenſium Epiſcopi Domni Gundiſalvi Pinheiro ſororem. Igitur, cùm magna ingenii, & doctrinæ

Digitized by Google

laude vir esset Georgius, optaretque filium suum omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, insigniter erudiri, Ulyssipone eum instruhi curarit. Fulgebat in puero mirabilis indoles, perspicuitas, docilitas, quo factum fuit, ut decimo tertio elapso anno, plusquam ferebat ætas, reperiretur instructus; adeo siquidem celeriter accipiebat quæ tradebantur. Degebat per id temporis Galliæ, ejus avunculus, qui è Bayona ad se accersitum, Burdigalam misit. Ad duos annos ibi commoratus, ratione reipublicæ gerendæ Michael noster longè profecit; hinc verò utrique Juri addiscendo Tolosam adiit; nactusque fuit præceptores egregios, Joanem scilicet Cujacium, Ferdinandum Berengarium, aliosque, æquè celeberrimos, qui adolescentis ingenio, ac humanitate capti, eum præ cæteris habebant in deliciis. Interea in Lusitaniam reversus, ac studiorum causa Conimbricam petitus, audiit Antonium Soares, Lusitanum, Martinum Aspilcueta Navarro, Cantabrum, nonnullosque alios, Juris Canonici, ac Civilis Interpretes certatim doctos. E' Lusitania Galliam rediens, Aurelianensem, Parisinamque celeberrimas frequentavit Academias; ibique vigesimum secundum vix annum attingens, è Græca in Latinam convertit linguam Antiphanis Comædiam, cui titulus Pluto, *quam inscripsit Avunculo suo, Francisco Christianissimo Regi tunc Legato. E' Gallia Lusitaniæ redditus Senatorio Ordini fuit adscriptus, eoque devenit ejus integritatis fama, in administranda justitia, ut à Sebastiano Rege ad oram mitteretur extremam; nullus siquidem visus est aptior ad quorundam nequitiam compescendam. Accidit autem, ut Petro da Cunha ibi Gubernatorem agente, in Ulyssiponem à Rege vocato, rei militari maritimæ præficiendo, Cabedo nostro illius deman-*

demandaretur munus. Id quoadusque exercuit, populorum tranquillitati optimè providit, sceleratosque, quos ad melioris vitæ frugem non convertit, aut supplicio punivit, aut timore procul abire compulit. Inde sibi maximo (uti par erat) plausu exorto, & ad Regem Sebastianum delato, eum Rex illicò Civitatis Regimini præfecit, delectis namque tribus Senatoribus prudentiæ, ac æquitatis eximiæ, eorum numero Cabedo noster adscriptus fuit. Longè apud omnes ejus nomen hoc munere factum est honorabile; adeo siquidem invigilabat Civitatis proventui, insimulque Civium utilitati, ut nec Civitas usquam floruerit uberior, nec populus moderatior. Tandem gravi correptus ægritudine, ejus vim, & malignitatem visus est noscere, ac constantissimè perpeti usque adeo sereno vultu, animoque tranquillo. Rebus testamento jam antea dispositis, omnibusque pietatis signis exhibitis, paucis diebus interjectis, Ulyssipone Aprili mense obiit, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, ætatis suæ prope quinquagesimo. Corpus suum Sanctæ Crucis Templo jussit deponi, indeque ad Cetobrigam delatum, proprio conditorio in Æde Beatissimæ Virgini sacra sepeliri. Elatus fuit maxima mortalium utriusque sexûs, & ætatum omnium frequentia, incredibili luctu, ac si Parentem publicum parentaret Civitas; meritoque; ei namque veluti Pater adfuerat; invigilarat, providerat. Uxorem habuit Eleonoram Pinheira de Vasconcellos, ab eaque suscepit quinque filios, & duas filias, prolem utique tantorum Parentum minimè degenerem. Statura ejus fuit mediocris, color albus, capilli flavi, vultus hylaris, comis, ac affabilis, tantaque dignitas oris erat, ut eum omnes diligerent, pariterque timerent, non formidine, sed veneratione.

Digitized by Google

tione. Caluit Jurisprudentiam, ac si ad eam interpretandum natus esset ; noluit tamen plura de ea scribere ; solebat namque dictitare , Interpretum opinionibus potius Jus corrumpi , quàm illustrari. Linguâ sic usus est Græca, ut Athenis natus videretur , tantaque suavitas erat sermonis latini , ut appareret in eo nativum quendam leporem esse , non ascitum. Poetico præ omnibus recreabatur studio , plurimaque Poemata pronuntiavit , sic ut supra nihil addi posset. Ejus opera Romæ in lucem prodiere ; eorumque Cathalogum nobis pervium subjicimus.

Digitized by Google

MICHAELIS
DE CABEDO
Operum Elenchus.

IN Nuptias Sereniſſimi Principis Joannis, & Joannæ.

In partum Joannæ Sereniſſimæ Luſitanorum Principis.

Vota Sebaſtiano Regi.

Ad Senatores Collegas de Tempore feriarum.

Epigrammata.

Pluto Ariſtophanis.

Sidonii Apolinaris operum recognitio, ad exemplar è Bibliotheca Victoriana excerptum, incæpta, non tamen abſoluta, nec in lucem edita.

Authorum antiquiorum difficiliora loca explanare aggreſſus, morte verò fuit inhibitus.

AU-

Digitized by Google

Digitized by Google

AUTHORUM
DE
MICHAELE
DE CABEDO

Teſtimonia.

Petrus Sancius in Epiſtola ad Ignatium de Morães.

ET te fleverunt Muſæ, Venerande Cabedi,
Atque tui Cives; funus reſpublica multis
Produxit lachrymis, & fæmineo ululatu,
Conſiliis orbata tuis, & legibus æquis:
Qui quamvis juſſu maiora ad munia noſtri
Cæſaris electus, ſemper tamen omine dextro
Addictus Muſis, Muſas, & carmen amaſti:
Et Peluſiacum, qui perſonat ore triſulco
Inferni raptoris equos, Stygiosque hymenæos,
Tartareasque domos, tentabas vincere cantu.

Digitized by Google

TESTIMONIA AUTHORUM

Ignatius de Moraes, in quodam ei inſcripto Epitaphio.

OSſa Michaelis ſunt hic tumulata Cabedi,
Quem Legum, & Juris docta caterva gemit.
Florentem ſtudiis genere, haud ætate labentem,
Mors tulit humanis invidioſa bonis:
Cauſarum Judex inter quos Regia honorat,
Curia, præclarum nomen adeptus erat.
Cingebat gemina (quod rarum eſt) tempora lauro,
Inque forum Phæbum, Caſtalidasque tulit.
Gloria ſed maior morum eſt, & vita probata,
Quæ numquam à recto devia jure fuit.
Ergo Cadaver humo requieſcit, ad aſtra volavit
Mens juſta, & Juſti Judicis ora videt.

P. Emmanuel Pimenta hac eum decoravit.

ODE.

SEdes Ulyſſis, qui lavit aureas
Tagus fluentis aurifer aureis
Fulvosque theſauros profundis
Gemifera pretioſos urna.
Fulvo decoro ſegmine ſuſtulit
Aurata fulvo tempora gurgite
Interque Nimpharum Catervas,
Ora ſuo Lyſa ſolvit auro.

He-

Digitized by Google

DE MICHAELE DE CABEDO.

Heroa noſtis nobilis ingenî
Qui nos Hydaſpi prætulit Indico
  Niloque, famoſoque Gangi,
  Eridano, latioque Tybri.
Nimphæ ſuperſti gloria fluminis
Non uſitatis tollite laudibus
  Inſigne Kebedi per ortus
  Nomen Hyperboreosque campos.
Virtus inerti preſſa ſilentio
Patrum ſepultæ diſtat inertiæ
  Heroes à Muſis ſepulti
  Ad ſuperas revocantur auras.
Obliviones non ego lividas
Sinam labores carpere maximi
  Et facta Kebedi ſuperba
  Ingenuis cumulata palmis.
Æquum merenti reddere gratias
Qui glorioſus, ſive ſuperbus
  Dum frænat inſignem per annum
  Jure domos Ithaci beatas.
Præſes ſeveræ jure potentiæ
Dum regna luſtrat proxima lucis,
  Vel flore, vel lympha fugaci
  Elyſias imitata ſilvas.
Seu conſulentis Regia Curiæ
Conſulta lingua provehit aurea
  Prudens futuri, vel per uſus
  Dotibus ingenii ſuperbus.

Seu

Digitized by Google

Seu clara profert lumina patriæ
Claros decoro lumine libros,
  Quis ardor in morem leonum
  Enſe ſacro lacerare furias.
Queis ſacra cordi, queis bene principis
Conciſa magni cura negotii
  Queis cura nuptarum, decus, vel
  Virgineam capere ante palmam.
Heroa Nymphæ deciſa plauſibus.
Permiſta lætis carmina non volo,
  Ceſſent per Europam, per Afros,
  Perque Aſiam locupletis oras.
Donec decoris parta laboribus
Convexa mundi gloria tranſvolet,
  Noritque præclaros honores
  Poſteritas venientis ævi.
Sic fatus undis mergitur aureis;
Nymphæ coronas vertice detrahunt,
  Ex hisque Kebedo coronam
  Flore parant pretioſiorem
Cui nec procella, nec fuga temporum
Mavorsque, vel Mors, Marte potentior,
  Non ira Cœli fulminantis
  Excutiet meritos honores.

Et P. Antonius dos Reys in Enthuſiaſmo Poetico:

——— Propius reſidet Cabedia Proles,
Gloria Cetubalæ non infima. ———

Digitized by Google

AD INVICTISSIMUM JOANNEM III. Auguſtum Luſitanorum Regem MICHAEL DE CABEDO.

POterat, Joannes Auguſte, mea ab hoc munere ſe excuſare muſa, & Juris ſtudium prætendere, cujus in incultis teſquis à ſuis amœniſſimis ſaltibus jam dudum exulat: quin & vereri, ne velut ruſtica, & pagana, longo jam intervallo ad urbem accedens, pueris, quod fieri ſolet, eſſet joco, & aſtutorum naſum incurreret. Verùm in tantâ omnium Ordinum lætitiâ, Reipublicæ tuæ, quæ, tuo maximo merito, Cæſaris Joannis Filii tui nuptias has, multis retro annis, effuſiſſimis ſtudiis, & expectatione proſequitur, vacationem donavit, &, ut veriùs dicam, non potuit ſibi temperare. De illo nihil ſollicita, ſi inter ſapientiores paulò audacior videretur, dum, quod propoſuerat, nutu ſaltem, vel geſtu, mutorum more, proderet, quo in te eſſet animo, tuaque omnia. Haud ignara, etiam inter doctiores Deos, ſi quando raucis faucibus Sylenus in convivio crocitet, hilaritatem, & lætitiam augere. Scio, minimum eſſe locum Muſis, vixque exaudiri citharam inter tubas, & aulæ ſtrepitus: magisque ad regalem paratum facere

cataphractorum exercitationes, velitumque discursus, & taurorum spectacula: sed, ut hæc maximè vera sint, tamen par est, ut in tantâ rerum celebritate aliquid etiam sonent Musæ, quarum tu primus in his regionibus magnificentiâ tuâ inflasti calamos. Vellem equidem, Rex invictissime, materiæ opus responderet: haberemus utique dignam lectione poesim, quæ dicendi suppetit leges. Sed quando infra tantarum rerum molem omnia sunt omnino ingenia, facimus quod Diis mortales solebant, qui thure, & farre, vilissimis rebus, optima maxima colebant (ut ipsi putabant) Numina. Reliquum est, Deum Omnipotentem precemur, faustum, & felix hoc sit conjugium sereniſſimis Principibus, tibique, & Augustæ Uxori, regni dulcissimos det successores, natos natorum, & qui nascentur ab illis. Ulyssip. iv. Calend. Octobr. Anno Domini M.D.LII.

IN

Digitized by Google

Petrus Perotti delin. *Hieronimus Rossi Sculp.*

IN NUPTIAS

Sereniſſimorum Principum

JOANNIS, ET JOANNÆ.

ROmanos faſces, decantatumque curulis
Sedis ebur, Latioque orbem ſervire coactũ,
Atque triumphatos alta ad Capitolia Reges,
Quoſque dedit mundo dominos Byzantia tellus,
Et Macedum quæſita alio ſub ſidere regna,
Magniloquumque adeo quidquid mentita priorum eſt
Vatum muſa loquax, mirari deſine quiſquis
Providus exacti renovas oblivia ſæcli.
En nova conjugio coeunt in fœdera gentes,
Quæ Rhenum, Eridanumque bibunt, Gangisque liquorem
Epotant, Nilique ortum, pallentiaque auro

Flumi-

Flumina cognatum præter labentia Iberum:
Fitque unum imperium, quà nigros lampade primâ
Illuſtrat populos, & quà jam feſſus anhelos
Oceano Sol mergit equos, quà cardine Cælum
Vertitur ignoto: non iſtis fabula verbis
Luditur, hiſtorias quiſquam, figmentaque vatum,
Vanaque mendacis credat ludibria linguæ.
Martia Romani Germania nominis hæres,
Macte viris, opibusque potens, ſibi vendicat hujus
Imperii primas ſacrato numine partes;
Cujus in arbitrium rigidæ cum jure ſecuris
Auguſtus conceſſit honos, mandandaque faſtis
Nomina Cæſareis titulos Hiſpana ſuperbos
Addunt regna, ſuis evictaque mœnia Mauris,
Atque amandatas gentes longè Herculis ultra
Amphitryoniadæ metas, chalybisque metallo
Imperium durat: non eſt fæcundior auri,
Argenti non ulla magis, non ulla virorum,
Armentive ferax regio. Subit Itala tellus
Continuo diviſa jugo, & quo ſpectat in æquor
Tyrrhenum, quoque Hadriacis ſe fluctibus infert,
Adſeruit latere; illa licet data gentibus olim
Jura canat, jactetque ſuo ſe Roma Senatu,
Roma ſacerdotii moderatrix, fidere magno
In totum fatata ævum præſcribere mundo
Parenti leges. Hinc longo Gallia tractu
In partem accedit, quæ canas transjacet Alpes,
Putris gleba ſoli: mercesque accerſere ſuetus
Toto Belga mari. Siculis cum meſſibus adde
Sardiniam, & quæ multa jacet lato inſula ponto.

Quin

Quin & Barbarici ſitientem littoris oram,
Ultima quid mundi referam? teſtata vetuſtis
Quæ quondam reor eſſe libris, quos docta Platonis
Pagina commendat: regio latiſſima utrumque
Ad Cæli deducta polum jacet æquore magno
Sejuncta Heſperiam contra, nimioque calentes
Sole plagas Libyæ, priſcis incognita ſæclis.
Hîc auro conſtare ſolum, mirabile dictu,
Argentoque ferunt, & viles gentis in uſus
Indigenæ nobis ſanctum proſtare metallum,
Mutarique adeo ferro, quòd ſcilicet aptum
Eſſe magis credunt humanæ ad commoda vitæ.
Felices animi, quos tot per ſæcula mendax
Non tetigit ſplendor, non ſollicitavit habendi
Auri ſacra fames, quæ vos afflavit anhelo
Ore, ſimul mundi noſtis commercia noſtri,
Auguſtus quæ jure ſuo tenet omnia Cæſar
Carolus, Arctoæ rariſſima gloria gentis.
Parte aliâ magni ſe Luſitania jungit
Oceani domitrix, & toto clara colonis
Orbe ſuis alienigeno depauperat auro
Te, Tage, & extremo devectis mercibus Indo
Nativas obſcurat opes, licèt obvia paſſim
Vena ſequax auri multo vertatur aratro,
Seque nitor glebæ prodat; ſtat ſcilicet olim
Propoſiti dum fama tenax, à fontibus ipſis
Ditia flaventem devolvere flumina limum:
Hiſtoriæ nec vana fides, à flante parente
Quadrupedum volitare greges, & rura beatos
Mollia felîci producere ceſpite fructus.

Non

Non tamen his opibus virtus contenta, ſuique
Prodiga non Boream, nimboſumque horruit Auſtrum,
Non ponti, cælive minas, dum fortibus auſis
Atteſtata ſuæ clareret gloria gentis,
Auſaque ab ignoto commercia quærere mundo,
Suppoſitisque manu terris dare jura Parentis
Auſpiciis, Auguſte, tui, veſtigia cujus
Tu greſſu maiore premens victricibus orbem
Luſtraſti ſignis. Nam quid tua ſub juga miſſos
Tot referam Reges, & facta, tyrannide pulſâ,
Arbitrii tot regna tui? quid barbara parvâ
Profligata manu narrem tot millia, & illos
Turcarum ad Diu congeſtos mœnia acervos?
Quæ terrâ, quæ geſta mari Sol luce jacere
Non patitur privata ſuâ, ſed neſcia noctis
Aſſiduis donat flammis, & milite cernit
Omnia plena tuo, quocumque libretur ab axe.
O telluris inops, & noſtris invida fatis
Parca nimis Natura ſui, quæ finibus arctans
Anguſtis terras ſua deſperare coegit
Præmia virtutem; tanti ergo pondera regni
Divino commiſſa tibi ſe Numine credunt,
Joannes invicte, ligas qui pacis utrumque
Legibus imperium, priuatis publica tædis
Commoda concilians, primis quas Cæſar in annis
Joannes, ſpes noſtra, tuus prælucet, & alto
Conjugii varias connectit fædere gentes.
Dic, Erato, quis tanta Deus connubia terris
Mandavit? geminos faſces quæ cauſa maritat?
Magna peto, ſcis ipſa tamen, quæ carmine blando

Foviſt

Foviſti teneros ignes, dum juſſa parentis
Exequeris chari, juvenumque accendis amores.
Vere novo cæris tellus nudata pruinis,
Et pigro reſoluta gelu, nova gramina campis,
Atque ſuos pratis induxerat alma colores,
Ad ſolitos ridens, Zephyris ſpirantibus, æther
Invitabat aves cantus, auſtroque tumentis
Hyberno fluvii, lenis ſucceſſerat arvis,
Lentus aquæ, venis tractus ſitientibus, humor:
Unde agris nativus honos, pede Gratia nudo
Surgentes calcare herbas, ductare choreas
Viſa levi ſaltu, torpentia frigore membra
Excutit, atque hyemis ſordes, & provocat omnes
Ad nectar geniale Deos, it neſcia fræni
Illic, & laxis volat Indulgentia habenis.
Ipſe Deûm Genitor, vultûs gravitate verendi
Sepoſitâ, lætâ diſcuſſit nubila fronte.
Ire diem Phæbus flammâ meliore ſerenum
Juſſit, & auratis emolliit æra pennis
Auctori natura ſuo. Tunc Jupiter aureo
Deſiliens ſolio traxit ſubſellia Divûm
Cætera magnorum, lætoque ex ore cachinnans
Ad Venerem properemus, ait, laſcivaque Cypri
Numina, & aſſiduas ſubeamus Amoribus umbras.
Non ullus genio toto eſt magis aptus in orbe,
Lætitiæque locus, votis ea templa Voluptas
Delegit ſecura ſuis: ſic fatus ab alto
Progreditur, totâ Superûm comitante catervâ,
Et ſuper herboſas valles, mollique virentes
Gramine Divorum ſiſtit ſocia agmina: campos

Venerat,

Venerat interea Cyllenius ab Jove miſſus
Ad Venerem mandata ferens, ſua regna pararet
Cælicolûm hoſpitio: pennatum ad claſſica Amorum
Illa miniſterium ciet, & ſua munera cuique
Diſtribuit: tunc turba procax factura parentis
Imperium volat: ille thoros è gramine molles
Componit certis ſpatiis: hic aggerat herbas
In tumulum menſis, & olenti nectit amomo:
Ille ſolum violis, & multo flore coronat:
At virides alius ſilvam contorquet in arcus,
Diſtinguens connexa roſis, atque arboris altæ
Quærit adoptivas propriis ſuperaddere frondes,
Et ditare nemus: rivos hic flumen in unum
Cogit, & aſpectum præterlabentibus undis
Exhilarat ripæ, naturamque arte decorat,
Et ſtudet adpoſitis ut murmuret unda ſalebris:
Solliciti certant ſtudio, dum ſedulus ambit
Quiſque Deæ placuiſſe magis: queis rite peractis,
Illa jubet, qua quiſque valet, ſe formet in artem.
Subſultim ſudet Riſus, blandisque Voluptas
Pertentet digitis animos, conſidat in omni
Arbore Amor, dulcesque ſuper deſtillet amores,
Mellitisque Lepos eventilet aera pennis.
Ipſa Venus multo comitata Cupidine Patris
Obvia ſe genibus provolvit, ad oſcula natæ
Jupiter inclinat ſeſe, tum pectine doctus
Ad Citharam admoto feſtos præludit Apollo
Congreſſus, duxere choros ad carmina Divi,
Auſus & alterno jactare tripudia greſſu
Lemnius. Æternis poſt hæc convivia menſis

Imperat

Imperat induci Saturnius: ilicet aurum
Immortale dapes onerant, fœcunda refundit
Quas largo Natura ſinu, quas Copia pleno
Cornu infert, quin & Satyri, rurisque beati
Numina textilibus calathis ſua munera portant,
Officiisque colunt cæleſtia Numina priſcis.
Hîc Jocus, & Riſus regnant, innoxia grati
Acquirunt cavilla Sales, multusque Liæum
Circum miſcet Amor, niveisque ad pocula palmis
Nympha ſuas præſentat aquas, magnoque Tonanti
Dat puer Iliacus rorantem nectare gemmam,
Applaudit ſua turba Jovi, ſequiturque bibentem
Feſtivo clamore Deum, conduplicat Echo
Emiſſas voces, auditaque verba retorquet.
Excipit omne nemus divalis gaudia Pompæ.
At Paphie obſtipo defigens lumine terram
Sola tacet, triſtisque ſuos ſuſpirat amores,
Totaque demiſſo damnat convivia vultu:
Mars aberat, dum Pannonico pro limite certat
In diros hoſtes, & forti pectore curat,
Auſtriacæ inconcuſſa Domûs ſtent ſceptra, ſuoque
Imperium conſtet Charlo: communibus unum
Quem ſimul ac menſis ſenſit Cytheræa deeſſe,
Depoſuit lætos vultus, & lumine torvo
Triſte ſupercilium contraxit, cauſa Tonantem
Non latet, ergo citas Cyllenion ire per auras
Imperat, Arctoo qui Martem accerſat ab orbe,
Adſit, & umbroſæ ſubeat juga nota Cythæres,
Impleat & Divûm numerum, ſua gaudia reddat
Offenſæ Veneri, poſitisque interſerat armis

Mutua quæ fractas confirment otia vires.
Pervolat ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Et bellatricis claras Tritonidos arces,
Tranſit & Illyricos fines, celerique volatu
Danubii ſupra virides veſtigia ripas
Siſtit, ubi invento reddit mandata Gradivo.
Squallentes ſudore manus, galeamque cruore
Fædatam diro puro tum fortè lavabat
Flumine Bellipotens; ergo opportuna Tonantis
Imperia excipiens etiamnum à cæde madentem
Deponit thoraca humeris, & caſſide crines
Liberat impexos, validos non haſta lacertos
Aggravat, at pulchris pro pilo pampinus uvis
Sumitur, & Paphies armat ſua tempora flore,
Ab ſe bellifremos longè jubet ire Furores,
Mœror abeſt, abſunt miſcentes prœlia Diræ,
Sævaque ſanguineum quatiens Bellona flagellum,
Et Pavor, & dubio trepidans Inſania vultu.
Sic placido Cypriæ ſubit ore palatia Divæ,
Convictumque Deûm, feſtivo tota tumultu
Aſſurgit cognata cohors: Venus ipſa ſerenum
Erubuit, trucibus dum figitur undique Divûm
Luminibus, claudoque procax ſuſpecta marito
Solvitur in riſum, cæli quo temperat æthram.
Hîc poſt ſermones, & poſt libata viciſſim
Pocula, poſt crebros divini nectaris hauſtus,
Per ludum, alternis ſtudiis, dicteria plauſus
Inſequitur, feſtoque diem clamore celebrat.
Ut nimiæ tandem ſubiere ſilentia voces,
Mars ſtetit ante Jovem, maieſtatisque verendæ

Numi-

Ipſe ego barbaricis, iratoque Ænoſigæo
Eripui ad Zelan, & noſtri numinis undis:
Oppoſuit fatum tandem ergo parta tot armis
Poſt decora, atque actos tot jam ſub pellibus annos,
Tempus adeſſe ſuum rebar, quo numine certo
Præclarum erigeret Charlus Solymâ arce trophæum,
Et fœdo Græcas urbes, Thracenque tyranni
Servitio aſſereret: quæ verſis lapſa referri
Cuncta vides retro factis; nam Turcica vaſtant
Agmina Pannonicos fines, latèque minantur
Imperii juga ſæva ſui: ſub claſſibus æquor
Tirrhenum, Siculumque latet: feralia triſtem
Inſultant vexilla mari tendentia Phœben.
Quin & civili flagrat Germania flammâ,
Atque inteſtino tellus tremit Itala motu.
Æterni ſi ſtat leges infringere fati,
Summe Pater, ſi jura poli, quid ſtultus inanem
Curam alo? quid tantos juvat exhaurire labores
Incaſſum? & vano intentas eludere vires
Conatu? quod ſi dum eadem ſententia durat,
Atque operis tanti eſt tot regna invertere, & iſtud
Tranſigere Imperium, magnoque æterna paratur
Gloria, quæ pennis victura immunibus ævi
Orbe volet toto, quanam ratione docebo
Id poſſis, Numenque ſuis abſolvere votis,
Atque obluctantes rerum componere cauſas.
Eſt tibi Lyſiadum Joannes Cæſar in aulâ,
Unica ſpes regni, matris, patriſque Joannes
Auguſtum pignus, quo ſe plaga jactat alumno
Ultima terrarum, flammæ dum neſcia primo

Ludit

Vos labor iſte, Themis dudum hoc conſulta manere
Dixerat antiquâ fatorum in lege repoſtum,
Et veniſſe diem, thalamis quo talibus aſtri
Explicet obſcuri nodos, & limina pandat
Venturo tandem auſpiciis melioribus ævo,
Hocque adeo ejuſdem doceat vel nominis omen.
Quare age, feſtinans Hymenæum mitte per auras,
Qui juvenum caſto perfundens pectora amore
Nectat, & æterno firmet connubia vinclo:
Mutuaque abſentes pictura infundat amores,
Gratia quam geminis conjuncta Sororibus auro
Lineet, & veros ab imagine concitet ignes.
Accedes tu ſola thori, tædæque jugalis
Diva potens, clarosque animos amoribus indes,
Totaque frænabis reſolutis corda medullis,
Unde orbi ſecura quies, terrasque ligabit
Felici poſthac concordia longa metallo.
Hæc ubi dicta dedit placido Saturnius ore,
Aſſenſere Dei, lætoque extrema ſecuti
Murmure conceptos dant ad nova gaudia cantus.
Haud invita facit Paphie mandata, ſuumque
Protinus occiduas jubet ire Hymenæon ad oras,
Et comites de plebe duos, quibus ille miniſtris
Sanciat auguſtum fœdus, ſuperaddit Amores.
Ipſa Cupidineis vectata per æquora pennis,
Et Cyprică multùm cicumvallata catervâ
Evolat, Heſperiâque ſimul ſe ſiſtit in aulâ:
Adventante Deâ, toto mala Numina latè
Conceſſere loco: Mœror, triſtiſque futuræ
Pendula Spes ſortis, macieque inſignis, & ore

Livor

Hiſpanum cervice jugum, regnoque parentis
Privatas mutavit opes, & Regibus unus
Tot ſimul eſt auſus campo confligere aperto.
Nominis inde tui ſtant prima exordia, regni
Certa ſalus, noſtras impune aliena per urbes
Qui ferri non ſceptra tulit, qui primus, adeptâ
Pace domi, bellum Lybiæ traduxit in oras,
Infidoque fretum Mauro, Septæque tributis
Aſſeruit. Subit Emmanuel ad proxima lecti,
Qui ignoto ante polo victricia ſigna triumphans
Intulit, & noſtras in leges ire coegit
Oceanum, mora ſit totum numerare tenorem
Gentis, & ornatos multo diademate poſtes.
Quæ tibi maiorum præclara exempla reponit
Docta manus falſis generoſum accendere fucis
Ad virtutem animum, variosque animare colores,
Argumenta ævi, celſæ quòd acumine mentis
Cùm tu percurres, facies, intelligat orbis
Acceſſiſſe tibi cumulum virtutis avitæ.
O virgo, quam tanta viri fortuna manebat,
Vive diu felix, & cum felice marito
Imperii rege fræna ampli, da publica vota,
Da dulces patri natos, ſocerisque nepotes,
Occiduo dominos orbi, qui Regibus olim
Cum conſanguineis, regnorum mutua ſacris
Fœdera conjugiis in ſæcula longa propagent.

AD

Digitized by Google

tenor conſtaret, argumenti dignitate fretus, quod non dubitabam nemini non placiturum, licet omnibus carmen ipſum diſpliceret. Et ſi exultantibus nimiâ lætitiâ animis, ſiquid excidat minus circumſpectè dictum, ignoſcimus; non vereor ne quid auctori in tam effuſo omnium gaudio detrahatur, ſi quid in carmine minus aptè poſitum ſit. Certè ſi in eo cuiquam fortaſſe aliquid in aure bene ſonabit, argumenti felicitati debebitur. Faciat, Rex Auguſte, Deus Opt. Max. ut hujus Nepotis tui nuptiæ, & plurimorum filiorum natales magno cum tuo, populique Luſitani gaudio, multorum doctorum ingenia, & eruditionem variè olim exerceant. Ulyſſip. VII. Kalend. Februar. Anno Domini. M. D. LIIII.

IN

Digitized by Google

Et ſeptemgemini numen deſerviat orbis.
Nam ſi veſtra humiles hominum ſe fundit in ortus
Cura, nec exiguos eſt aſpernata penates,
Privatique lares nonnumquam veſtra fatigant
Numina, par certè eſt coluiſſe frequentibus omnes
Certatim ſtudiis hæc incunabula Divos.
O felix, niveoque dies ſignanda lapillo!
Occiduis quæ tot populis, tot gaudia mundo
Contulit Eoo, medioque jacentibus axe
Gentibus, imperii fines qua ſidera tanti,
Et Phœbus, Cœlumque regunt, pars optima noſtri
Una dies ſæcli, quæ longum fulſit in ævum,
Nutantes herede domos, noſtrique malignæ
Eripit arbitrium ſorti, nec caſibus ullum
Fortunæ dedit eſſe locum, maturaque Regum
Conſilia aſſeruit vulgi à ſermonibus olim,
Et ſacra privatis quid diſtent pectora curis
Edocet Heſperiæ geminis innixa columnis.
Aula domûs ſtabat, Lyſi fundaverat orbem
Prole Deus binâ, ſexu complexus utroque,
Et Regnum firmare ſuis heredibus orbi,
Et dare venturas in publica commoda tædas,
Quas alias donaret opes, aut munera Olympus
Pro meritis, Auguſte, tuis? en contulit æther
Quod fuit in primis tibi, Rex ſanctiſſime, curis.
Nempe affectatis non tu ambitioſa ſuperbi
Imperii monumenta paras, non crimina Regum
In populum tædis, nec triſte minantia factis
Præſidia accerſis crudelibus, at tua poſtquam
Regna Deo pietas ſat commendaſſet, & alti

Relli-

Digitized by Google

Seres, odoriferas felix Panchaia nubes
Contulit, & noſtros pretioſo cortice Ganges
Irriguis arbuſta undis confovit in uſus.
Cinnama miſerunt Arabes, & thura Sabæi
Divitias miſere ſuas, Cilicumque remoto
Limite nota dromas portavit vela camelus,
Et rude Idumææ ſudavit balſama vitis
Vulnus in ignotas nobis ventura medelas.
Macte animi Emmanuel, & tanti muneris auctor
Gentibus, Eoos cui fas vulgare receſſus,
Qui dum Lyſiadum ſervire pericula mundo,
Atque orbis ſtatuis communes omnibus uſus,
Aſſeruit te fama polo, quæ geſta per orbem
Virtutis teſtata tuæ venerabile tandem
Ardua, quod decuit, nomen ſuper aſtra locavit:
Viderat & Regno, Rex invictiſſime, per te
Addita regna tuo tot barbara, totque per orbem
Commoda tantum non patris ſuperantia curas:
Tum reputans quanta imprimis inceſſerit uno
Te pietas regnante homines, quo Numina cultu
Exemplis edocta tuis obſervet, & ætas
Quos templis, ariſque Deûm tua reddat honores:
Cogat ut infandi gentis ludibria ritus,
Et proprios neſcire deos, verumque ſecutos
Numen ſponte ſuâ pro libertate paciſci
Doctores divûm dominos: Quæ commoda veſtris
Auſpiciis quæſita orbi Saturnius æquo
Conſilii putat eſſe Deûm quo munere penſet.
Fraternum depaſta jubar ſe lætior ergo
Lyſiadum genti partûs prænuntia magni

Cynthia

Digitized by Google

Nativus cemmendat honos, numenque benigni
Sideris, & toto non æthere mitius aſtrum.
Hanc primo Natura parens fabricavit ab ævo
Arte ſua Rectori orbis, ſtant atria cætu
Digna Deûm, & princeps nitet æthere curia toto.
Excitos Atlantiades huc duxit ab omni
Parte poli Superos: ſolio conſedit eburno
Altitonans, variis quod ſæcula multa figuris
Diſtinxere Patri: violatus Jaſpide candor
Aſſiduo niveus, flammamque æquante Pyropo
Intentos in honorem oculos præſtringit, & ora
Adverſi feriunt radii, numenque ſedentis
Defendit vis multa loci: Pater ipſe laborat
Lumina ſæpe loquens in ſe convertere Divûm,
Nec potis interdum ſeſe minor eſſe, ſuâque
Majeſtate cupit, diſponitur ordine deinde
Cætera turba Deûm, ſtratâque ab honore curuli
Quisque ſedet: vario ſermone immurmurat aula,
Inque vicem quærunt dubii tractanda repente.
Qvæ tanti res arbitrii? quæ poſtulat omnes
Cauſa Deos? magni num decernenda triumphi
Pompa ſiet Regum meritis ingentibus ulli?
Rurſum alius, grandiſne rei num cauſa feratur
Judicio ceſſura Deûm? quique impius orbem,
Communique ſimul qui crimine læſerit aſtra?
An nova jura paret terris imponere mundi
Rector, & effrænos hominum compeſcere motus?
Non alias fas ob cauſas indicere Olympo
Concilium toti, tantumque excire Senatum,

Non

Veſper habet, mittit Coſtumque, & Xylon amomi
Gentibus Arctois vicina ad frigora Ganges,
Et piper, & patriâ permutat Cinnama veſte.
Atria quin totis hebeni ſuffulta columnis,
Atque opera illuſtrat rutili quæ maſſa metalli
A medio devecta die, & quos teſſela conchæ
Sectilis artifici diſtinguit fœdera poſtes.
Obſtupet extremo Phœbus dum mergitur axe,
Lyſiadumque jugis eductum Parthica Bacchum
Penſat, & infecto Babylonia vellere pellis,
Et fluidæ Perſæ gentiles veſtis in uſus
Itala Carbaſeis mutant holoſerica peplis.
Quid notum ſibi ſero orbem, quid ſidera cœli
Altera ab antiquis ævi fulſiſſe tenebris,
Totaque quid referam tandem mortalibus hujus
Auſpiciis noſtri patuiſſe palatia regni,
Et totos vix tanta Deos poſt ſæcula demum
Scire homines? nec vos caſtæ reverentia mentis
Joannis latet in Superos, qui regna paternis,
Atque ſuis quamvis ſudata laboribus olim
Ampla tenet per vos, latè ſparſumque per orbem
Poſſidet imperium, celſi tamen ille ſagaci
Deſpectans ex arce animi mortalia curâ,
Non vano populi plauſu, non ſanguine avorum
Tot ſupra Regum, blandis luxusve profuſi
Intumet illecebris, toto famulantibus orbe
Divitiis, ſed mente Deum complexus in omne
Numinis obſequium regnat, non limite moto
Longius imperium cenſens, ſed finibus illud
Terrarum ceſſiſſe ſuis ratus aſſerit omne,

Relli-

Illa marem geſtat, quem vos communibus ævum
In longum ſtudiis educite, certaque mundo
Pignora, & hoc meritis ſervate parentibus: hujus
Omne vacet numen fatis, vacet omnis Olympus.
Ipſe ego naſcenti ſtudium, noſtrique benignum
Sideris infundam numen, quod regna ſecundet
Illius, & factis quondam maioribus adſit.
Dixerat aſſurgens dictis Natura loquentem
Talibus excepit (nutant ſubſellia tantæ
Maieſtate Deæ:) Pater ò Saturnie Divûm,
Atque hominum, dudum toto te figere vultu
Me video, & cauſæ noſtrum depoſcere nutu
Velle patrocinium fateor, non dignior unquam
In medium, pro qua ſtarem, res venit, & hujus
Haud Superûm incumbit meriti mage gratia cuiquam,
Scilicet ipſa minùs quondam mihi commoda mundi
Per varias diſperſa plagas ignota manebam
Tot populis, dum quiſque mei ſibi ſumeret uſus,
Nativi quam culta ſoli modo patria partem
Gleba daret, nec terrarum de corpore tanto
Mutua cognatis ſervirent munia membris,
Inque vicem primi nulla eſſet gratia mundi,
Neſciret cum ſeſe orbis, terrorque minacis
Oceani, nec certa poli lex ulla notati
Siſteret audendos peregrina ad climata curſus:
Nunc poſt annorum tot ſæcula tota per omnes
Nota mei partes feror, & mihi reddita, vanum
Efficiam Emmanuel meritum id non auferat: ergo
Si, Superi, annuitis (te quando auctore monemur
O Pater) eſt animus Joannæ numine magno

Auguſ-

Aut ullâ maiore poli vi læſa negabit
Reddere mandatum ſemen, vitiove peribunt
Eductæ ſegetes, ſed meſſibus horrea deerunt,
Luxuriabit ager quæcumque in ſemina cultus,
Et, Florâ mandante, meus per prata feretur
Æternum Zephyrus, molli qui germina flatu
Pelliciens glebæ cogat juveneſcere honorem
Putris, & inducto tellurem gramine condat,
Mellaque jucundos ſuperexudantia rores
Alvea deſtituent, ibuntque per arva fluenti
In morem, quin Palladios non uncta trapeta
Accipient fructus, & toto Copia cornu
Maior erit, lac ſponte fluet, fœcundaque læti
Armenti pingues diſtendent ubera paſtus.
Candida tunc hederâ redimitus tempora Liber
Excipit aſſueto jactantior, & mihi Lyſi
Gens., ait, ò Superi, curæ eſt, privataque gentis
Contingunt me jura etiam, felicia cujus
Sceptra olim cerno toto clareſcere in orbe,
Huic puero poſſeſſa, mei ſi numinis ullæ
Sunt vires: namque Eoo cur cardine ceſſi
Gentibus occiduis,, premeret victoria nomen
Cur aliena meum volui? noſtrosque triumphos
Obſcuraturam cur Gangis ad oſtia gentem,
Atque Indi penetrare ſinus ſum paſſus in imos?
Scilicet hoc nobis duxi acceſſiſſe, quod uſquam
Lyſiadum ſceptris accederet, illa tueri
Ergo mihi curæ, penitusque imponere Eois
Rebus, ut omittam qualis vindemia per me
Iſtius imperio fluet, ut nec vina tenebunt

Se

Submiſiſſe canent, ut vi ceſſere negato
Gentibus hoſpitio Synæ, bellique potentes
Altera ut Heſperios agnovit Iberia Iberos:
Utque peregrini dominos plaga ſideris ullos
Accepit tandem: (priſco pars ultima mundo
Reddita) durabo pueri naſcentis in uſus
Ipſe meos artus, & membra, animosque futura
Audaces in bella dabo, quos nubilus Auſter,
Quoſque cadens Phœbus, primoque exhorreat ortu.
Finierat. Jungunt votis ſe turba faventum
Cetera Cælicolum, lætoque in fata feruntur
Carmine, & ingenti reſonant ſubſellia plauſu.
At Superum conſulta jubet rata Juppiter eſſe,
Æternisque Themim de more inciſa tabellis
In tempus mandare ſuum, comitataque Parcis,
Et toto petat Auguſtum Lucina cubile
Aucta polo: varium comitantum munus in uno
Cernere erat partu: meliora hic tempora promptis
Prætendit manibus, præfert hic ſpicea laſſa
Serta manu, huic pulchras promittit pampinus uvas
Atque ſuas Parcas agitat labor, illius auri
Maſſa humeros laſſat, captiva hæc flumina, & olim
Mille expugnatas ferat urbes, penſa laborat
Illa volubilibus connectere gaudia fuſis,
Nullaque tot comitum vacua eſt à munere dextra.
Felicis macte arbitrii Regum Optime, & idem
Maxime Joannes, non tu præſaga ſecutus
Fulmina, non vanos avium captante volatus
Augurio tua das fatis, non omine iniqui
Tardatus vulgi, vinclis nec victima ruptis

Si

Exhilarata choris celebrant juvenesque, ſenesque:
Unica Lyſiadum ſceptri, & ſpes unica gentis
Heſperiæ, nulli legum pietate ſecundus,
Joannes Princeps fuit his dilectus in oris,
Quem (licet invitis fatis) clementia Summi
Per tria luſtra Dei, totidem & ſervaverat annos,
Dum bona conjugio, proli dumque apta parandæ
Ex uno magnam in gentem contingeret ætas.
Hunc Pater & patriæ, & nati devinctus amore
Ad regnum curâ ſtuduit formare ſagaci,
Ipſe ſuo exemplo cupiens componere mentem,
Quæ regere imperio populos, quæ lenibus urbes
Legibus, in tantâ quæque æquo vivere jure
Fortunâ ſciret, nec duceret ulla licere,
Omnia cùm poſſet, quàm quæ ſuaſiſſet honeſti,
Et virtutis amor, queis altæ munia pacis
Artibus, & belli tractaret jura, foretque
Tam civi charus, quàm formidabilis hoſti.
Talis eras, Pater ò patriæ, Rex gloria Regum
Joannes, tibi non eluſa fugacibus hiſce
Imperiis, oblita ſui non Gangis, & Indi
Divitiis mens intumuit, nec fluxit inertem
In luxum, blandita ſibi: tu pectore Olympum
Complexus placido, curis in regna vacabas
Providus, hoſtilis modò ne quis fortè tumultus
Ingrueret, modò ne piratica ſigna rapinis
Aſſueta auderent noſtrum volitare per æquor.
Adde forum, legesque tuas, te judice, ſanctas,
Arbitrii ſecura ſui cùm libera Patres
Judicia, atque ſacer ſciret conſulta Senatus.

Qualis

Quæ facies tunc urbis erat? cùm plena tumultu
Per fora lugubri miſtâ plebe iret amictu
Nobilitas, cultuque omnes cenſeret eodem
Mœſta dies, totis templis triſte æra ſonarent,
Luctifico æra ſono caſus teſtantia noſtros:
Attonitum huc illuc populum, luctuque furentem
Cernere erat cœlo indignas jactare querelas,
Privatos cujusque lares, totamque videres
Miſceri ante oculos magnis clamoribus urbem.
Quin etiam ipſa comam, vultum & laniata decorum,
Et laceros convulſa ſinus ad ſidera fertur
Mœrenti tales fudiſſe è pectore voces:
Summe Parens hominum, rerum inviolata Poteſtas,
Qui mare, qui terras, qui cœlum numine comples,
Perque ſuas ſtatuis (tua dum feret ultima fati
Lex) mundum durare vices, hæc eſſe futuro
Si ſtabilem Imperio voluiſti mœnia ſedem,
Quæ tot ab infidis retro poſſeſſa per annos
Hoſtibus, Alphonſo tandem aſſertore, nefandi
Mutavere tuis ritus, deliria ſacris,
Unde invicta manus, pulſis trans æquora Mauris,
Herculeique anguſta freti, fœcunda coegit
Cedere Lyſiadum melioribus arva colonis,
Et parere tuis Bocchi penetralia ſignis:
Si ponti dominis ſtatuiſti has gentibus arces
Eſſe locum, quæ vera polo ſub utroque docerent
Numina, quæ populis, quos Sol primo imbuit ortu,
Jura darent, Libycis ereptaque ſceptra tyrannis,
Lyſiadum claris Regum ditata trophæis,
Si placuit Gangi, rebusque imponere Eois:

Quem

Mœnibus exportata pio amplectatur amore,
Teque ſibi noſtro devinctum pignore credat.
Hîc ait, adjiciunt ſimiles ſocia agmina voces,
Conjunctisque favent meritis, flectuntque Tonantem.
Annuit ille piis precibus, ſparſitque ſerenâ
Luce polum, caſus urbis miſeratus acerbos.
At Joanna uterum nono jam menſe gerebat,
Incideratque dies natali feſta Sebaſti:
Tunc aras, & templa adeunt, & Numina fuſis
Sollicitant lacrymis cives, totamque per urbem
It clamor, Divique ſacris penetralibus effert
Oſſa piis manibus caſtus veneranda ſacerdos,
Et canit oſtenſo divinas pignore laudes.
Agmine compoſito certatim in verba ſequuntur
Cum ſenibus juvenes, Patribus plebs anxia miſtis,
Uno chara vovent patriæ pro pignore cuncti
Pignora: tunc unus, toto ſpondente Senatu,
Nuncupat ex omni manſurum in ſæcula votum:
Si tua felici ſolvant ſuffragia partu
Auguſtum Joannæ uterum, fortiſſime Chriſti
Miles, & optatam per te Deus annuat urbi
Sollicitæ ſobolem, ſacra ad delubra quotannis
Natalem celebrare diem, feſtisque frequentes
Indulgere choris, Patres, Populusque vovemus.
Dixerat: ecce hilari accurrens Lucina tumultu
Regia tecta ſubit Parcis comitata benignis,
Quas operi intentas tanto jubet eſſe miniſtras,
Fauſtaque naſcenti puero qua ſede morentur
Sidera, quo felix Getici ſe ſtella receptet
Martis, & aſtrigeros Jovis indulgentia vultus

Conver-

Digitized by Google

Solemnis maneat, ſua quiſque ad ſigna recurrunt
Artificum numeroſa cohors, prælataque longis
Ordinibus, de more, omnes vexilla ſequuntur.
Demulcent teneras vario modulamine mentes;
Hinc tuba concentu rauco, non qualis ad arma
Inſtructas acuit turmas, ſed mollis, & inter
Quæ deceat ludos, grata & ſpectacula Circi:
Inde choros juvenum mediato fiſtula cantu
Ecxitat: alterno reſqondet tibia flatu,
Tibia, quæ Superûm templis, & amica theatris;
Nec lautis Regum, Procerumque incognita menſis,
Permiſtos amat ære ſonos, cantusque tubarum
Provocat, æratasque ciet toto æquore claſſes.
Parte aliâ gemmis, & molli ſtamine Serum
Ornatas ducit mater ſtudioſa puellas,
Et monet ad citharam, pulſataque cymbala greſſus
Compoſitis glomerare modis, ſuperantia fulgent
Colla nives, auro incluſæ ſpectantur Eoi
Divitiæ maris, hîc Adamas pretioſus, & ignes
Ardentes referens Opalus, viridiaque Smaragdus,
Gaudet Onyx maculis, niviæ prælata colori
Sardonychis, reddit violas Amethyſtus, & auri
Pallores Hyacinthus amat, miſcetur in unum
Quidquid Erythreis, Arabes, miſiſtis ab oris,
Decolor auriferâ quod colligit Indus arenâ,
Quærit & extremis Gangeticus accola ripis.
Flore viæ, viridique fores, & limina Myrto
Velantur, ſurgunt extructæ floribus aræ:
Maſcula thura focis adolent, & nube Sabæâ
Caligat confuſa dies, ſparguntur odores,

Quos

Macte Dei nobis date munere, Rex date Divûm
Macte patrocinio, cui mollis inertia primos,
Nec luxus deſes, nec mentis prava libido,
Sed ſtudium veri, virtusque exercuit annos,
Cui nec per ſegnes horas tranſacta fugaci
Decurſu, nec per ſomnos eluditur ætas,
Noxia non vires hebetant, non otia ſenſus,
Sed vel in armorum ludis, captuque ferarum
In ſilvis durum firmat patientia corpus,
Ne deſueta gravi concedant membra labori:
Vel priſci impendis doctis annalibus ævi,
Quæ curis erepta vacant momenta, legendis,
Unde vel antiquos, exemplo judice, mores
Induis, aut fluidæ depromis fræna juventæ:
Doctus, ut arbitrii permiſſa procacibus altum
Caligat mens cæca ſui, fucisque malignæ
Capta voluptatis, Circesque infecta venenis
Vertitur in tetras facies, & in horrida monſtra.
Vive diu felix, & Avis da ſera nepotes
Natorum natos, ſtirpemque in ſæcula longam.
O ò ſi liceat thalamis præludere carmen
Connubiale tuis! quales per compita plauſus
Maieſtate Patres, ſociâ cum plebe, remiſſâ
Attollent! pulchrâ faciet te prole ſubinde
Tanto digna thoro cùm Virgo Auguſta parentem,
Gaudia quis lætæ, quis motus temperet urbis?
Munera tunc alacres, nova tunc ſpectacula, Regni
Securi Cives votis maioribus edent.

AD

Digitized by Google

Queis Pelopis genitor ſua non mutaverit, aut quem
Jam lapſura ſuper territat atra ſilex:
Quæ neque Siſyphii ſuperent incommoda ſaxi,
Vanaque non Danai quæ piat urna ſcelus.

Ad Stagnum aquarum in Villa ſua prope Palmellam.

EPIGRAMMA.

HÆc agite, ò Nymphæ, de monte ad ſtagna Dianam
Ducite, nulla Deâ balnea digna magis.
Hîc faciunt virides & arundo, & populus umbras,
Et tener in molli piſcis oberrat aquâ.

De Serpente Æneo Arbori adhærente & ore aquam ejaculante, in eâdem Villa.

EPIGRAMMA.

NOn fallax, auctorve malî, velut antea, Serpens
Ore, ſed hîc gratas præbet amicus aquas.

De

In Umbram Olivæ in medio Pomarii, vinetique.

EPIGRAMMA.

HAnc Nymphis Pallas, doctisque Sororibus umbram,
Quæque legant circum dulcia poma dedit.

In vitem, quæ pro foribus est domûs Cabediæ.

EPIGRAMMA.

HAnc vitem, Maiorum opus, atque insigne repertum,
Cujus adhuc frondes, umbraque limen amant,
Cabedius, Lenæe Pater, tibi consecrat, at tu
Perpetuo decora frondis honore fores.

AD

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

gulari , ac morum gravitate incredibili. Primis ab annis fuit Cabedo noſter ſupra ætatem prudentiſſimus , ad parcitatemque verborum potius , quàm ad dicacitatem imclinatus. Ingenio cùm eſſet præditus excellentiſſimo , juditio acerrimo , memoriâque tenaciſſimâ , ita brevi humanioribus litteris mentem excoluit , ut in ſui admirationem rapuerit univerſos. Utriuſque linguæ , Græcæ ſcilicet , ac Latinæ , ſtudio enixiſſimè operam navavit , factumque eſt , ut præcipuos , ac excellentiores utriuſque idiomatis Authores cùm perlegeret , eorum elegantiam hauſerit , ſtylum ebiberit , veſtigia preſſerit ; indeque , aut familiari colloquio diceret , aut pro roſtris oratorem ageret , nullus fuit , qui ab ejus ore non pendèret , adeo enim erat elegans , ſublimis , delectabilis. Conimbricæ ſacrorum Canonum ſtudio deditus , Doctoratûs laureâ fuit inſignitus , ac in Patriam reverſus , & ſacerdos initiatus , ibi deceſſit , natus annos viginti quinque. Viri primo juventæ flore rapti , omnibuſque ornamentis decori , haud imeritò mors dolenda foret , ni quanto maiorem quis de ſe famam apud poſteros relinquit , tanto minori luctu oporteret ejus memoriam recolere. Inter opera , quæ extant , ejus ad Poeſim numen indicant , quæ hîc videre licebit , majeſtatem Statianam ſpirantia , omni prorſus fuco carentia , velutique Auguſti ſæculo effuſa. Eorum Elenchus hic eſt.

AN-

Digitized by Google

AUTHORUM DE ANTONIO DE CABEDO

Teſtimonia.

Petrus Sancius in Epiſtola ad Ignatium de Moraes.

ECce tibi (ah Muſis mala fata!) Cabedius alter,
Cui juveni charo Cæi lugubria vatis
Carmina tu juvenis quondam, lachrymaſque dediſti,
Eripitur nobis, raptus florentibus annis.
Ah, miſerande puer, rupiſſes ſi aſpera fata,
Ah te quantus honos, te nomina quanta manerent!

Ignatius de Moraes in quadam Elegia, cujus huc ſpectantem partem ſubjicimus.

SUpremam ergo diem Antoni doctiſſime obiſti
Perſecuitque annos Parca ſevera tuos:
Et vix permiſit primam exceſſiſſe juventam
Laudique invidit nominis illa tui.

Atque

Digitized by Google

Et Pater Antonius dos Reys in Enthuſiaſmo Poetico.

———— Propius reſidet Cabedia Proles
Gloria Cetubalæ non infima ————

IN INTERITUM

D. JOANNIS
Lusitaniæ Principis

Epicedium.

Nde repentino tacuerunt gaudia luctu?
Irrepsitque comes funesta cupressus, & albam
Mœstificis hederam video concedere taxis?
Cui, Musæ, nova plectra, novosque haurire paratis
Lugentum de fonte modos? non hæc tua, læti
Calliope Regina chori, provincia, non his
Carminibus tanti deflenda injuria damni.
Te tamen hoc, si qua ulla fides, magis omnibus unam

Tangit

Gaudia; prætereunt citò nempe, brevemque relinquunt
Læta ſui fructum: dolet, æternumque dolebit
Quod nocuit: perit exiguo ſic tempore rara
Gratia, ſed nullis injuria tollitur annis.
Certa tamen jam tunc (ſi mens elata ſecundis
Noſceret ambiguos rerum prædiſcere caſus)
Signa mali, grandisque olim prænuncia cladis
Præbebant oſtenta Dei, tantoque cadente
Principe, non dubiis terrebant Numina monſtris
Attonitas hominum mentes, noſtrisque vacarunt
Venturis prius aſtra malis, atque omnia certas
Turbarunt elementa vices. Quid fulmina toto
Commemorem dimiſſa polo? tot millia nunquam
Crediderim torſiſſe Jovem, cum Phlægra Deorum
Armavit ſævos in bella nefanda Gigantes.
Ipſa caput quondam Regni, domus unica Regum
Infenſos experta Deos Conimbrica miſſos
Nuſquam alias plures ex æthere pertulit ignes:
Quid vatum reſponſa, Deûmque oracula nulli
Intellecta canam? non tu, Conimbrica, vaſtos
(Feciſſes potius) pateris telluris hiatus?
Scilicet ille ſalus, regni caput ille? per illum
Ceperunt obſcura fidem præſagia? quid nunc
Aeris infectos tractus, hominumque vagatam
Ingenti cum ſtrage luem, quà Vacca profundo
Redditur, & domino ſummittit flumina ponto.
Ergo non pecudum fibræ, Cœloque micantes
Obliquæ per inane faces, non dira ferorum
Urbibus in mediis noctu exaudita luporum
Murmura pacatos nuſquam, velut antea, nobis

Oſten-

Jure magis licuit, Superos, & nulla putare
Numina, & incerto nobis fluere omnia caſu.
Scilicet illa ſenem, vilemque, & ſæcula multa
Indignantem animam longævæ tædia vitæ
Ferre adigent: hoc ſæva caput Proſerpina primis
Hei mihi, tot columen populis, abſcindet in annis?
Ergo non virtus illi, non profuit ingens
Luſitanarum claro de ſanguine Regum
Nobilitas, non Cæſaribus deducta ſuperbis
Stemmata, non magni pietas auguſta Parentis,
Aſpectûsque iras ſolo mulcere ferarum
Forma potens: jacet ille decor, venerandaque pulchri
Maieſtas oris, dulcique admiſta lepori,
Jamque decens gravitas, ſanctæque ſimillima menti
Siderei ſpecies vultûs? Huc illa redacta eſt
Gratia, & imperio vaſti digniſſimus orbis
Frontis honos? nec adhuc ſua commovet ultima cunctos
Hora? repentinis nihil impenetrabile telis
Cùm videant, mors ſæva, tuis, humilesque ſuperbis,
Divitibusque addas inopes, ingentiaque audax
Dejicias uno rerum momenta ſub ictu.
Heu ſpes fallaces! heu magnæ tempora numquam
Virtuti data læta diu, ſummisque negata
In terris mora longa viris! ſeu fraude malignâ
Fatorum, ſeu maturis velocior annis
Creſcendi finem probitas, citiùsque peregit
Ætatem, implevitque brevis ſtata tempora vitæ.
Non ſecus extinctum primo ſub flore juventæ
Nereidum comitata choris Sigeia propter
Littora magnanimum genitrix Dea flevit Achillem.

Sic

Digitized by Google

Expavit Tagus ære viros, quàm pectore triſtis,
Quoſve dabas gemitus? quoties ſine marte, ſine ullo
Sanguine, quæſitas tantis ſudoribus olim
Barbarus intraſſet (Luſi proh dedecus) arces?
Nempe tibi, Antæi memorat quæ longa vetuſtas,
Mœnia Lyſiades debent, errore, malisque
Prodita conſiliis. Patriam tutore carentem
Excipis, ignavisque in prælia ſedulus enſes
Reſtituis, regnumque tuum, terrasque tueris
Qua licet, & noſtris avertis ſedibus hoſtem.
Hi tibi erant mores, primis hæc ſemper ab annis
Cura fuit. Tantâ donaſſent indole dignam
Hiſque animis vitam Superi, quod mente parabas
Feciſſes: tua Gangaridûm, Nomadûmque rebelles
Sceptra perhorrerent, poſito diademate, Reges.
Invidit fortuna tibi, noſtrasque ſub uno
Vulnere fregit opes, in te minus aſpera, quamvis
Eripuit vitæ creſcentia tempora, nobis
Plus æquo inſtabilis nocuit rota, & invida magnis
Fata viris, cœptisque ingentibus obvia ſemper,
Et tantum Mors ſera malis, te Sidera, & ingens
Securum tenet Aula Dei, melioraque noſtris
Illic ſceptra gerens, faſtus & inania lætus
Regna hominum, & fragilis rides ludibria ſortis.
Forſitan & Proceres illic longo ordine noſtros
Perluſtrans oculis, priſcos per amœna vireta
Lyſiadum numerans Reges, teque alta virorum
Maieſtas trahit attonitum, gremioque recentem
Excipit Emmanuel, & cætera turba Nepotis
Exultantem animam, Patruosque, & maxima Fratrum
Nomina

Dempſiſtis, nato date tempora. Libera ſemper,
Æternumque potens gens Luſitana ſubactis
Gentibus, & toti victrix det jura profundo.

Epitaphium.

EXternis quicunque venis peregrinus ab oris
Auriferique intras oſtia magna Tagi,
Siſte ratem, mœſtique vide monumenta doloris,
Si vacat, & noſtris fletibus adde tuos:
Hîc jacet erepus primævo in flore juventæ
Joannes, regni cura, dolorque ſui.
Si faciem, & mores, ſi quis conſideret annos,
Dignior æternum vivere nemo fuit.
Viſum aliter Superis, quos plus juvat ardua ſemper
Caſibus, & ſubitis implicuiſſe malis.
Si quid amas, nolis nimium placuiſſe ſenectam,
Vix unquam ſummis fata dedere viris.

Aliud.

HIC, ubi conſurgit Bethlem de nomine templum,
Et medio attollit turris in amne caput,
Progenies jacet invicti præclara Joannis,
Ille nepos magni Cæſaris, atque gener.
Vix decimum ætatis, ſextumque expleverat annum,
Vix pubertatis tempora tranſierat.
Injecit mors ſæva manus, tantoque repente
Privavit miſeros Principe Lyſiades

IN

Digitized by Google

Heu dolor! heu gemitus! ubi nunc manus illa trophæis
Barbaricis toties decorata? ubi nobilis illa
Turma ducum? nec enim illorum mandare cohortes
Cuilibet ingentes dubitaſſes, Optime Regum
Joannes Auguſte, tuas, ſeu fortibus armis
Turca ferox toto, velut olim, abigendus ab Indo
Eſſet, Erythræi ſeu per vada cærula ponti
Claſſis Idumæas iterum tua tendat ad arces.
Nempe jacent, quos nulla manus, non comminus ipſa
Pallas, & armiſoni premeret vis horrida Martis.
Vincunt inſidiæ; nec enim, licet obvia totis
Viribus, adverſum conſurgeret Africa damno
Docta ſuo: ſic continuis expulſa duellis
A proavis totâ ſua viderat agmina noſtris
Heſperiâ, ſeptemque ſimul procumbere Reges.
Sic captas Antæi arces, ſic denique noſtra
Viderat Herculeis fulgentia ſigna columnis.
Non multum Lybiæ, quod ſub juga noſtra veniret
Deerat adhuc, illata etiam maioribus olim
Damna ſatis bona poſteritas erat ulta, ſuisque
Finibus, & toto conceſſerat Africa ponto.
Adjuvit fortuna dolos, quoſque improba adire
Expavit coram, bello eſt aggreſſa latenti.
Nullus terga dedit, turpiſſima vulnera nullus
Pertulit, immotis acies ſtetit inclyta ſignis,
Seque probat moriens, nec tam, quamquam omnis acerba
Conditio læti, dolet interiiſſe doloſi
Fraude loci, quàm quòd meminit poſt terga potentis
Europæ infidis patefacta repagula Mauris.
Ingenuo ſed enim virtus admiſta pudori

Per-

Digitized by Google

Nota nimis, Lybicas jacuit (dolor!) inter arenas.
Nec fuit indignum vobis, ò Numina, tanti
(Nobilior nec enim tanti, Luſitania, ſanguis?)
Effudiſſe viri Getula per arva cruorem?
Non te igitur tua nobilitas, non maxima certè
Subduxit ſævis virtus, dux inclyte, fatis.
Nempe jaces, ſed qualis adhuc virtute retentâ
Horridus, &, vultûs non maieſtate remiſſâ,
Obrutus ingenti muralis pondere ſaxi,
Inter Canenſis conferta cadavera cladis,
Nobilior Paulus jacuit Varrone: rigenti
Terribiles læto vultus, metuendaque nondum
Ora viri ſpectare audent, oculisque, ſibique
Vix credunt, molemque, & membra ingentia verùm
Eminus excelſo mirantur ab aggere. Poſtquam
Longa tamen repulit fædum aſſuetudo timorem,
Paulatim accedunt, ut quiſque audacior, ille
Formidata ſibi ducis ora laceſſit, & illud
(Dedecus heu, Gradive, tuum!) per ſaxa, rubosque
Nobile corpus agit, generoſo in ſanguine tela
Inficit hic, natis immania membra, virique
Relliquias ſervant illi, & madefacta cruore
Spicula conjugibus, ſenibusque oſtendere charis
Ut poſſint: jacet ille graves in funere vultus
Torvus adhuc, ceu bella gerat, ceu cuſpide ſævâ
Cædat anhelantes Getulo in pulvere turmas.
Non ſecus immanes rictus, & vaſta leonis
Ora recludit iners vulgus, quem punica propter
Rura, diu clauſique greges, incluſaque longo
Torpuerant caſtella metu: Si forſitan olim

Secu-

Maior ubi, & teneris probitas maturior annis
Argumenta dabant tanti non vana doloris.
Quin etiam ingenui mores, animoſaque ſemper
Nobilitas, &, prima licet, non mollibus ætas
Fulta rudimentis, veterumque ingentia patrum
Facta infelicem, magnique cupidine læti
Accenſum puerum dudum hæc in bella trahebant.
Ergo ſatis quamquam proavûm virtutibus, atque
Nobilitate potens eſſet, licet inclytus ipſe
Duceret antiquo genus altum à ſanguine Regum,
Noluit æquales tamen inter carpere primum
Florem ævi, & teneros agitare inglorius annos.
Macte animi, non tu primævo in tempore inanem
Effigiem pugnæ, ſimulataque prælia veris
Luſiſti infelix, ſed protinus arma, tubasque,
Mavortemque ciere valens metuenda ſubiſti
Bella viris, patriàque procul Getula petiſti
Mœnia, & hoſtili nunquam ſine ſanguine arenas.
Parrhaſium ſic nempe nemus, ſic roſcida liquit
Mænala, & æſtivi puer Arcas grata Lycæi
Nobilis Aonio mutavit jugera campo.
Te tamen ignarum belli ſive impia fata,
Sive egreſſa modum virtus extinxit, at illum
Detinuit forſan tua mors, evadere namque
Cum poſſet, ſine te puduit, miſerande, reverti.
Ite decus patriæ, ſæcli laus maxima noſtri,
Ite piæ, fortesque animæ, loca debita vobis
Elyſium, immenſique implete ſedilia Cœli.
Non vos horribilis Phlegeton, non atra videbunt
Tartara, ſed domus emeritos ſtellantis Olympi

Exci-

Tecta, diu certè jura intoleranda, jugumque
Æneadum ſatis heu! miſeri tot ſæcula diros
Gotthorum tulimus faſtus, intraque penates
Sexcentos dominum Maurum toleravimus annos.

D. GONDISALVO PINARIO
Epiſcopo Viſienſi.

CUM ſuperiori anno in ſpeluncam Deiparæ Virgini conſecratam, (vulgo de Lapa vocant) ex voto, cui jam diu me aſtrinxeram, proficiſcerer, diverti, Domine, apud tuos in Fontellum, ſic enim incolæ vocant amœniſſimam, & meo quidem judicio pulcherrimam Villam. Quamquam multâ ex parte incuriâ, & negligentiâ hominum incultam & deformem tunc dicerent, qui aliquando florentem, vigentemque viderant. Quantum tamen ex formâ regionis, & loci ſpecie conjicere licet, affirmare auſim nihil perfectius, & abſolutius ab ipſâ rerum naturâ effingi potuiſſe. Hanc ego admirationem ſtatim in poeſeos argumentum converti. Et quia me & tempus, & loci opportunitas, alioqui natura ipſa proclivem, ad hoc ſcribendi genus invitabant, hoc ex tempore Epigramma, olim, ſi per otium licuiſſet, maius aliquid daturus, compoſui.

O Nemus, ò fontes, ò quæ viret atria juxta
Non indigna piis inſula Semideis:
Vos ne infelices potuere relinquere veſtri,
Vos ne ullis domini poſtpoſuere bonis?

O fæ-

HOc nemus, hi fontes, hæc culta roſaria, quæque
Ingens in mediis inſula vernat aquis,
Atriaque antiquas Regum vincentia moles,
Et quæ mille domus clauſa tuetur aves,
Omnia corruerant, & vix veſtigia tanti,
Quid non longa terunt ſæcula? ruris erant.
Gonçallus vigil hæc Pinarius arva refecit,
Addidit & priſcis plurima dona locis.

FONTELLUM.

HOrtorum, nemorumque potens Pomona, beatas
Quæ dudum has ſedes, & læta vireta relictâ
Incolis Auſoniâ: vosque ò quæ rore perenni
Jugera proluitis vivâ de rupe Napææ:
Tuque adeo regina Venus, mitiſſima frugum,
Atque hominum fœcunda parens, cui roſcida cordi
Germina, quam dives, longo licèt obſitus ævo,
Spirat adhuc locus, & tanti veſtigia ruris
Teſtantur ſpretâ quondam incoluiſſe Cytherâ.
Huc agite, & ſtudio dum mens vacat, ardua Divûm,
Naturæque mihi miracula pandite, nec vos
Cuncta Domûs, magnique decus mirabile Luci,
Atque omnes mecum pigeat luſtrare receſſus.
Veſtrum opus hoc, Divæ, nec enim jucundius ullum
Parte aliâ feſſas recreat nemus, inter opacos
Seu lucos juvat Ambroſios in gramine ſomnos
Carpere, ſeu gelido cæleſtia membra fovere
Flumine, ſeu roſeis capita exornare corollis,
Et legere æternos per prata virentia flores.

Ergo

Tota loco: Sic magna nimis, ſic omnia vaſta,
Sic aptis extructa locis, ſic denique mira
Cuncta ſagax fecit, maieſtatemque decori
Addidit, & variis dotavit jugera donis.
Haud alios miranda inter primordia mundi,
Ante nefas, primique ſcelus lethale Parentis,
(Parva nimis magnis componere, ſacra profanis
Si licet) æternos noſtris Genitoribus hortos
Crediderim feciſſe Deum, cùm quidquid in orbe
Egregium toto ſapiens formarat, in unam
Congeſſit pariter Divina Potentia ſedem.
Uſque adeo rerum plena omnia, quidquid ubique
Gignitur, invenies ibi, ſeu legiſſe ſalubres,
Seu tibi odoriferos placeat mage carpere flores.
Non plures fæcunda tibi ſuffecerit Ætna,
Ætna parens florum, non Attica dulcis Hymethi
Gleba, neque Auſonio quæ ſubjacet ora Veſævo.
Hîc & pallentes violæ, Cyprioque cruore
Purpureæ per prata roſæ, nigrantia florent
Parte aliâ niveis vaccinia miſta liguſtris.
Hîc pueri defleti olim, lugenda deorum
Crimina, nunc veris gratiſſima germina, mœſtis,
Infelix Jacynte, notis, propriique decoris
Mirator, Narciſſe, jaces, Salaminius heros
Hîc gemit, & tragicis ſuſpiria nota cothurnis.
Parte aliâ mollis conſurgit Amaracus, &, quæ
Exuperant alios candenti vertice flores,
Lilia, tot numquam variata coloribus imbris
Haud vana exoritur prænuncia: talia propter
Oceanum dites texunt aulæa Britanni.

Quantus

Muneribus, Vertune, tuis, ornatque ſuperba
Irriguis Omnena jugis, quæ nectare multum
Hyblæo, pinguique beat Polymella Minervâ
Aſſurgens utroque ferax à vertice, ſeu qua
Conſpicuos fulvâ proſpectat jaſpide muros,
Seu qua pulchra Tagi longè videt oſtia, ſeu qua
Mœnia Romuleas æquantia proſpicit arces.
Tale decus, faciesque loci; neque diſpare cultu
Surgit opus, maiori etiam (vera eloquar); illic
Chara domus quamvis, quamvis mihi patria, quamvis
Affectus habet illa meos. Hæc miror, at illam
Et colui à primis annis, & ſemper amavi.
Cum multis ſed enim hæc communia, ſingula quæque
Nempe alibi quamvis, pariter tamen omnia nuſquam
Invenies: verùm mira illa, ſupraque capacem
Humani captum ingenii, vix poſtera credent
Sæcula, vix ſeri poterunt firmare nepotes.
Hæret adhuc perplexa loci dulcedine, nec ſe
Mens iterum quamvis, iterumque hæc ipſa reviſat
Aſpexiſſe putat, juvat uno à colle fluentes
Tot colles vidiſſe, tibi decus unde perenne,
Fontellum, egregiumque æterna in ſæcula nomen.
Nempe alias inter Deus has ſitientibus arvis
Præſertim donavit opes, multoque rigavit
Imbre ſolum. Credes preſſas ſub pondere Nimphas
Mille ſibi quæſiſſe vias, ſtudioque videndi
Exciſo pulchras de ſaxo exiſſe Napæas.
Hîc etiam, quanquam diverſâ ab ſede profectas,
Congeſtasque uno pariter ſub fornice Nymphas
Aſpicias. Hîc dulce ſonant, hic dulce ſuſurrant,

Hinc

Æſtus, & ardentis quoties injuria Solis.
Huc trepidæ (feſtiva cohors) adnare Napææ
Dicuntur, Satyrûm quoties laſcivia gratis
Exagitat male ſana locis: Hîc mollia ducunt
Otia, & ambroſios carpunt in gramine ſomnos.
Stat montana procul pubes, revocatque, & agreſtes
Nequicquam calamos inflant, nec amantia ceſſant
Carmina, & immeritis convicia fundere ripis.
Criſpantur tenui Zephyro vada læta, nec alto
Unda immota lacu torpet. Sic prima tumeſcit
Ira maris, blandis quoties attollitur Euris.
Hîc ego conſpexi laceri fragmenta phaſelli,
Sive illum ſenium, ſive olim ſolvit amœni
Vis inimica lacûs, dominis hac inſula quondam
Puppe petebatur, quoties confugerat illuc,
Seque ſuis madidus per ſtagna cuniculus antris
Abdiderat, ſi quando greges fallacibus eſcis
Cæruleos, tremulàque juvaret arundine piſces
Fallere, captivasque ad littora volvere prædas.
Tales Heſperiam juxta, Solemque cadentem
Heroum campos, & fortunata piorum
Jugera, fluctiſono circumvallata profundo,
Semidei Manes habitant. Hîc ducere vitam
Mallet, poſtpoſitis aliis, Aætias, & quæ
Poſt infelicem pariter dilexit Ulyſſem.
Parte aliâ cantus avium mirabere, nec tam
Solamen, quàm pinguis opes, neque futile ruris
Subſidium, menſæque decus, volucrumque capacem
Cunctarum caveam. Nuſquam toto orbe vagandi
Tanta avibus data libertas, non clauſtra, ſed altis

Eſſe

Quid vos, auricomæ Divæ, quæ limine primo,
Veſtibulum ante ipſum, certis properantia ſemper
Tempora digeritis ſpatiis? quid quæ ſuper altâ
(Credere quis poſſet?) reſidet teſtudo columnâ?
Pervia ſunt, dices, mortalibus omnia, quæque
Vix fieri potuiſſe putes, volventibus annis
Improbus hæc hominum labor, & ſolertia fecit.
Sis felix, longumque bonis his utere, gentis
Laus ingens Gonçalle tuæ, quem dives alumnis
Magnanimus domus agnoſcit Pinaria, non te
Diverſum rapiant aliò maiora, ſecundas
Res quamvis fortuna tibi promittat, & olim
Purpureo mitram permutet Roma galero,
Vile decus capitis, & inanem frontis honorem,
Ignarum quæ vulgus amat, procul effuge, teque
Invidiâ, & lucem minuentibus eripe curis.
Hîc melius tranquillus ages, & pectore magno
Fortunæ bona deſpicies fallacia, non te
Averſum trahet ambitio, non luxus, & alta
Præcipuè Regum penetrans palatia faſtus.
Quodque olim meditaris opus, diſſueta reviſes
Muſarum, jurisque tui penetralia, cùmque
Tithonî, Pyliique ſenis ſuperaveris annos,
Debita virtuti conſcendes ſidera, teque
Emeritum, variis functumque laboribus, inter
Pontifices, quos ſæcla pios antiqua tulerunt,
Accipient celſi pretioſa ſedilia Cœli.

Digitized by Google

Diruta bis denos bellis exercuit annos.
Omnia continuus labor, & vigilantia Romæ
Subdiderat, nec Sol præter Romana videbat
Quicquam aliud, neque parta tamen civilia bella
Continuere diu, ſpretoque labore ſubactum
Amiſit totum Romana potentia mundum.
Namque ut opes nimias ſors vexit, & otia mores
Fregerunt, luxusque homines invaſit, & illa
Priſcorum ceſſit Superis laudata parentum
Virtus, paulatim ex illo Romana referri
Res retro, fractæ vires, partumque tot annis
Roma brevi mundum, rerumque amiſit habenas.
Ergo quàm clarum genus armipotentis Achillis
Pyrrhus, & immanis nequiit devincere Pœnus,
Orbis Reginam delerunt otia Romam:
Et quæ totius mundi caput omnibus olim
Gentibus in Tanaim à Gadibus imperitabat,
Prodita barbaricis (proh dedecus!) ignibus arſit:
Et Romana ferus bis cepit mœnia Gotthus,
Dardanaque Hiſpanæ popularunt tecta cohortes.
Nunc etiam (tanta eſt rerum inconſtantia) nemo
Jam ſibi non audet captam promittere Romam.
Proh dolor! & Turcus (quod Dii prius omen in ipſum
Convertant) flammas urbi, excidiumque minatur.
At vos, ò Superi, quibus Itala mœnia, necnon
Auſonius Pater, & Romana palatia curæ,
Has prohibete minas, peſtemque, ac dedecus iſtud
Ultra anni ſolisque vias, ultraque nivalem
Caucaſon Europâ procul olim avertite totâ.
Sit ſatis (heu proavûm pudor ingens, atque nepotum!)

Mœnia

Celtiber, aut magnis tulit Africa dives alumnis,
Illecebris, patrioque emolliit India luxu,
Et Luſitanum viles convertit ad artes,
Ac mercatorem de milite reddidit, atque
Nexuit auratis dominorum colla catenis.
Denique quæ toties bello vexavit Iberum,
Oceanumque ultra Maurum expulit, atque potentem
Quondam armis Lybiam, maiores ulta, ſubegit,
(O pudor!) ultro urbes nunc Luſitania victis
Exhibet, unde ſuis vix jam confidit, & illam
Hinc lacerant, (pudet heu!) Celtæ, gravis imminet inde
Africa, Dulichiisque ignem, exitiumque minatur
Arcibus, & noſtros ait iſta manere nepotes.
Vos, ò Dii, quorum auſpiciis per cærula vectus
Luſus in extremis ſedem ſibi legit Iberis,
Æternamque ſuo poſuit de nomine gentem,
Quorum Ithacus monitis actus, quà nobilis æquor
Intrat, & Oceanum flavis Tagus excipit undis,
Magna pererrato ſtatuit ſibi mœnia ponto,
Dedecus Heſperiâ procul hoc arcete, minasque
Has prohibete, ſatis jam pridem jura, jugumque
Æneadûm, nec non miſeri tot ſæcula diros
Gottorum tulimus faſtus, intraque penates
Sexcentos dominum Maurum toleravimus annos.

AD

Digitized by Google

Aſſyria, & molles mittunt de more Sabæi.
Interea decor & formæ, vultûsque venuſtas
Langueſcit, veluti flos interceptus aratro.
Attenuat macies artus, color occupat ora
Buxeus, & vires abeunt, vox nulla per arctas
Infirmasque exit fauces, magnoque labore
Divitias partas in nullos poſſidet uſus.
Ergo Cælicolas cùm placas thure, Salutem
Imprimis ſupplex votis venerare, tibique
Præ cunctis mitem hanc, ſiquidem ſapis, effice Divam;
Nil etenim genus humanum, nil noſtra ſine illâ
Vita poteſt, nil terra boni, nil utile totus
Orbis habet, quicquid miſeri ſumus, hæc dedit. At tu
Magna Salus, mentis vigor, ærumnæque levamen,
Grata quies rerum, placidiſſima Diva Dearum,
Magna parens hominum, vitæ decus unica ſortem
Humanam miſerata, ades huc, ſeu ſidera, ſeu te
Aerei campi, ſeu fortunata piorum
Rura tenent, nullis hominum damnata querelis,
Huc ades, & triſtes procul, ò Dea, pelle dolores.

IN ARTES.

QUid juvat æternis animum fregiſſe minorem
Artibus, & paucos diminuiſſe dies?
Juris conſultis maior licèt uſque vetuſtis
Emineas, mortem non tamen effugies.

Jura

Et meritò: quid enim attinuit turbare quietos,
Et tantis homines implicuiſſe malis?
Sic pereat quicunque novas excogitat artes,
Dum cineri quærit nomen inane ſuo,
Tranquillumque nihil ſinit eſſe, quietaque mœſtis
Inventis hominum pectora ſollicitat.
Quàm bene Maiorum firmo degebat in ævo
Illa nimis prudens, & bona ſimplicitas,
Vita quibus tantum præſens lux, & ſcelus unum
Ultra quicquam animis evoluiſſe diem:
Vita recens lux orta fuit, præſentia quiſquis
Carpebat ſortis neſcius ambiguæ:
Curæ aberant, aberat dolor, ærumnæque, laborque,
Nulla diu terris viſa ſenecta fuit.
Tranquillis bona cuncta aderant, bona cuncta ferebat
Terra parens, nullis ſaucia vomeribus:
Aurea tunc ætas verè fuit, aurea vita
Maiorum (ſi quid credimus) illa fuit:
Ferrea nunc hominum ſunt ſæcula; namque labores,
Nec curas fas eſt depoſuiſſe graves.
Cauſa mali tanti ſummi contempta Tonantis
Imperia, atque ingens artis & ignis amor.
Nonne fuit ſatius nil ſcire? ſcientia tantis
Si curis nobis una paranda fuit.
Scire nihil certe dulciſſima vita, doloris
Expers ſimplicitas, atque ſuave malum eſt.
Simplicibus pueris quis non invidit, & annos
Ad primos cupiit ſæpe redire ſuos?
Provida nos lædit mens una. Viatica canis
Hæc docuit primis quærere ab unguiculis.

Hæc

Ergo procul faſtus, procul hinc mala gaudia, luxus
Ite, nimis dulce, nil nimium eſſe poteſt.
Humanum paucis vivit genus. O procul omnis
Ebrietas, hoſtis maxima lætitiæ,
Et vos ò triſtes curæ. Mihi ſæcula nox hæc
Aurea, & antiquos ſola reducat avos.
Sit facilis mihi convictus, ſit menſa ſine ullâ
Arte, ſit exiguus & ſine lite cibus.
Sit ſecura quies, curâ ſemota, metuque
Mens agat, & veris gaudeat illecebris.
Rideat interdum magnum Sophos, & bona quicquid
Ætatis noſtræ tempora prima rapit.
Quidquid abeſt, ſpernat, præſentia captet in horam,
Ne referat, ſi quid ſors dedit, & Superi,
Tempora labuntur, ſenſim fluit hora, renaſci
Non datur, elapſos nec reparare dies.

ODE HORATIANA

Beatus ille, &c.

ELEGIS REDDITA.

FElix, qui curis, veluti gens priſca, ſolutus
Exercet bobus rura paterna ſuis,
Quem neque tranquillo proturbant claſſica ſomno,
Dira nec irati commovet ira freti.

Quique

Dulce viro vinum cellis depromat, inemptas;
Et faciles nullâ præparet arte dapes.
Non ſcarus, & rhombus, non me pretioſa juvabit
Quæ de Lucrino littore concha venit.
Non avis eſt nobis jucundior Africa, quàm quæ
Electa eſt ramis, pinguis oliva, tuis,
Quàm quæ quæruntur maluæ mortalibus ægris;
Prataque amans nimium roſcida Lopathium.
Agna vel agreſti Sylvano cæſa, vel hœdus,
Quem ſævo eripuit ruſtica turba lupo.
Has epulas inter paſtum juvat uſque videre,
Ut repetat noctu tecta, domumque pecus.
Aut ut aratra jugo referant inverſa juvenci,
Collaque vix multo feſſa labore trahant,
Utque lares circum vernarum turba quieſcat,
Examen ditis, præſidiumque laris,
Hæc ego vix dixi, captator fœnoris ecce
Alphius exemplo ruſticus eſſe parat;
Idibus ergo omnes relegit, rurſumque Calendis
Sollicitus quærit ponere divitias.

AD

Digitized by Google

Eſt, aliqui dum ſcire volunt. Sed nil fore certò
Norint, quod jam non fuerit, faciendaque quondam
Quæ noſtri multo fecerunt antea Patres.
Nempe nihil ſub ſole novum, nec dicere quiſquam
Eſſe recens aliquid potis eſt, abiere tot olim
Facta, nec antiqui quiſquam reminiſcitur. Ergo
Et noſtræ quondam vix ultima poſteritatis
Sæcula, vix veterum poterunt meminiſſe parentum.
Olim is, cui Solymæ commiſſa potentia gentis,
Optavit, quæcumque capax complectitur orbis,
Noſſe animo, & rerum penitus cognoſcere cauſas:
(Namque hunc peſtiferum mortalibus auxit amorem
Altitonans olim, curasque) intentus in orbe
Quidquid erat vidit, vana omnia ſcilicet, & quæ
Innumeris premerent mortalia pectora curis.
Difficile pravum flectas, ſtultisque refertus
Orbis, & immenſi ſcatet ingens machina mundi.
Idem honos eſt, eadem pravis lex, atque modeſtis:
Et piger interiit, & ſedulus, omnia miſcent
Fata, ac magnanimis pariter mors æquat inertes.
Ille ſapit verè, qui cùm hæc cognoverit, altum
Suſpicit, & certâ melioris commoda vitæ
Spe ſignat, ſceleris purus, complexus & unum
Mente Deum, tacitos jucundè tranſigit annos.
Hoc tu etiam doctus, Campegi, dogmata dudum
Te revocent quamvis, teneantque ingentia curæ
Pectora, falle animum, vitæque ad commoda pelle,
Otiaque ingratis interſere mutua curis.

HEN-

Digitized by Google

Inficiant, licèt insidiis, & fraudibus anguis
Humanum genus exagitet, te protinus ista
Oppositо custode cadent, tantique tumultus
Mollia securæ traducent otia gentes.
Non secus Eugino sacræ commissa carinæ
Cura metu Minyas solvit, tantique profundi
Securi fortes somno, pelagoque furenti
Mandavere animas, celsâque in puppe magister
Pervigil Arcadio solus pendebat ab Astro.
Summe parens, hominumque sator, qui sidera, & undas,
Qui terras, & cuncta tuo sub numine torques,
Hunc saltem everso Juvenem succurrere mundo
Ne prohibe, satis exhausto, satis impius orbe
Dux Erebi, tot regna sibi, tot fida sequentes
Signa, tot heu! miseras tulit in sua jura cohortes.
Pars quota terrarum capta est Germania! nec non
Divisit penitus justoque pioque Britannos:
Imminet Ausoniæ, Romæque, orbique minatur
Hellespontiacæ dominus (proh dedecus!) oræ,
Dulichias petit inde arces, animoque superbo
Concipit Herculeas invadere sæpe columnas.

IN TEMPLO ANTIQUISSIMO FORTUNÆ.

TU, quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper Fortuna meorum,
Accipe, quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem nostri conservatura parentis,

Cujus

Non mihi Pactolus, non ſi fluat Indus & Hermus,
Et ſi aliud fulvis flumen abundat aquis.
Non ſi ſurda meis fors & contraria votis
Donet, quas habuit Cræſus avarus, opes,
Omnia ſi dederit, cuncta & tibi largiar, in me
Vix videar meritis digna dediſſe tuis.
At nunc quando aliud nil ſuppetit, accipe verſus,
Hæ vatum, hæ ſterilis ſunt Heliconis opes.
Dona dabunt dites: errant, qui mittere vatem
Quidquam aliud præter carmina poſſe putant.

Aliud.

EPIGRAMMA.

LOnga, ſed invito cunctis Ægnatius optat,
Nil profecturus, ſæcula Mercurio.
Vos, Superi, ingratis quæcumque rogaverat, illi
Donate, & vati reddite vota ſuo.

De Tumulo Parentis, & Fratrum ſuorum.

EPIGRAMMA.

SAncta mihi tellus, tumuloque ſacratior omni,
Exoptata domus oſſibus una meis.
Tu mihi perpetuo venerandas contegis umbras,
Charo germanos cum Genitore duos.
Tu mihi, ſi quid erat, propter quod vivere vellem,
Omnia tu noſtræ gaudia lucis habes.

Ergo

Digitized by Google

Ne fletus, & ſæpe graves mulcentia curas
Lamenta, & queſtus ne prohibete meos.
Difficile eſt animo juſtum cohibere dolorem,
Diſſicile eſt lachrymas continuiſſe pias.
Torrentem priùs, & properantia flumina ſiſtas,
Quàm miſerum flere triſtia damna vetes.
Huc agedum luctus, huc ò lamenta, meisque
Perpetui fletus, continuique malis,
Vos lachrymæ, quibus hæc nullo non tempore abundant
Lumina, triſtitiæ ſemper aperta meæ,
Iliadum largos imbres, ſudataque truncis
Germina, & æternas vincite frondis aquas.
Par conſanguinitas, dolor idem, & caſus uterque,
Fratris uterque ſui triſtia fata dolet.
Cauſa mea eſt potior, quanto, dum lumina vitæ
Cerneret, utilior pluribus ille fuit.
Debuerant triplices, nec erat jactura, Sorores
Fila priùs vitæ diminuiſſe meæ.
Me miſerum! nec te ſuprema affarier horâ,
Supremum licuit nec retuliſſe vale.
Nec tibi cum mœſtis germanis juſta parare,
Triſtiaque officii reddere dona mei.
Debita erat noſtris hæc pœna miſerrima fatis,
Debita peccatis ſors erat iſta meis.
Scilicet huc vitæ perveni, ut, fratre cadente,
Maiore inciperem parte carere mei.
O utinam penſare animas crudelia nobis
Fata darent, fluxos & reparare dies.
Quantulacumque eſſent pro te, chariſſime frater,
Penſaſſem vitæ tempora longa meæ.

At

Aliud.

EPIGRAMMA.

HIC pater, hîc teneris raptus Cuſtodius annis,
Hîc etiam frater conditur Emmanuel.
Supremos cùm grata mihi mors finiet annos,
Accipiat cineres hæc quoque terra meos.

Aliud.

EPIGRAMMA.

EMmanuel, quem ſæva mihi mors abſtulit, & nunc
Frigida dilecto cum patre velat humus,
Accipe faſtoſi non ſaxa ſuperba ſepulchri,
Marmoraque, indoctum qualia vulgus amat:
Sed fletus, & ſcripta meos teſtantia queſtus,
Quæque madent lachrymis carmina mœſta meis.
Hæc tibi ſint noſtri monimentum & pignus amoris,
Hæc tibi ſint fratris ultima dona tui:
Nec diuturna manent, nec proſunt cætera, nec ſunt
Pyramidum magnis præmia digna viris.

SAN-

Digitized by Google

Epitaphium ejuſdem.

EPIGRAMMA.

NObilitate ingens, probitate ingentior, iſto
Regina in tumulo conditur Eliſabeth.

In Puellam, cujus labia punxit apis.

EPIGRAMMA.

QUòd tua purpureos vincentia, Cynthia, flores
Labra nimis felix, ſed mala punxit apis:
Parce illi, cauſas prætendit hic error honeſtas,
Crediderat veras ſcilicet illa roſas.

Ad Cetobricam Patriam ſuam.

CARMEN.

O Felix nimis, ò beata tellus,
O dulciſſima mœnia, omnibusque
Longè pulchrior urbibus Cetobrix,
Quaſcumque occiduo ſub axe ponto
Neptunus Pater æſtuante, & ingens
Fluctu perluit hinc, & inde Thetis.
Quàm lætus tua tecta, quàm libenter
Seceſſus repeto tuos, & actum
Poſt annum veteres ſaluto amicos,
Vix credo mihi te videre, vixque
Ji ga triſtia, vix Conimbricenſes
Ingratos nimis, aridosque colles
Liquiſſe arbitror. O quid eſt ſolutis
Curis lætius? inquieta cùm mens

Pondus

Epitaphium Joannis Luſitaniæ Principis.

EPIGRAMMA.

LUſitanorum columen, noſtræque ſepultam
Spem libertatis, continet hic tumulus:
Hîc jacet egregii ſoboles præclara Joannis,
Ille nepos magni Cæſaris, atque gener.
Vix decimum ætatis ſextumque expleverat annum
Vix pubertatis tempora tranſierat,
Injecit mors ſæva manum, tantoque repente
Privavit miſeros Principe Lyſiadas.

Aliud.

EPIGRAMMA.

HIC ille Luſitaniæ Princeps jacet,
Ingens Joannes, una quondam maxima
Spes, & columna corruentis patriæ.
Hîc ille, quem jam tunc timebat Africa,
Vaſtique longè lata Gangis oſtia.
Hîc ille gener, & Cæſaris magni nepos,
Joannis una chara proles maximi:
Cum ſex, decemque gratus, & in omnes pius
Vixiſſet annos, proh dolor! quo tempore
Vixiſſe certè debuit, tunc occidit;
Tellure vero ſub jacens, non conjugem
Dulciſſimam, non ſceptra ſibi ſpe debita,
Non Regna, non magnas opes, ſed patriam
Tanto relictam plorat in periculo.

Joanni

Digitized by Google

Ut libet has vidiſſe tuas, Conimbrica, moles;
Mœniaque Egnatî verſibus aucta mei.
Agnoſco nunc Pieridum palatia, quondam
Luſitanorum tecta ſuperba Ducum.
Agnoſco celſas, ingens opus, Herculis arces:
Et videor lymphas cernere, Munda, tuas.
Non me curvati pontis bona ſemita, non me
Egregium totâ quidquid in urbe latet.
Omnia miratus, Muſis, & Apolline, dixi,
Non erat in totô dignior orbe locus.

Ad Sanctiſſimam Virginem Mariam Roſarii.

EPIGRAMMA.

O Regina Poli, Divini Numinis Altrix,
Conveniens roſeo nomen ab orbe gerens:
Aſpice devotæ nunc hæc ſpectacula turbæ,
Quæ tibi continuas fundit ab ore preces.
Te vocat, & magnis iterum clamoribus inſtat,
Anchora ſis rebus, auxiliumque ſuis.
Ille, precelloſi quem jam maris obruit unda,
Si vocet, in medio littore ſalvus erit.
Dum putat amiſſos hominumque, boumque labores
Agricola, in magno fœnore cuncta legit.
Ignotos paſtor ducens pecus omne per agros
Invius, en lætum, te Duce, gramen habet.
Qui ſemel accenſis præſenſit maxima tectis
Damna, tui verbo Nominis ignis abeſt.
Ergo age, da portum nautæ, da grata ſerenti
Semina, paſtori gramina læta para.
Extinguas ignes ſubitos, caſusque ſecunda,
Æthereas etiam tu mihi pande vias.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMONITIO.

QUONIAM nonnullus forsitan erit, qui hoc in Opere ordinem Alphabeticum, Chronologicumvè requirat, necessarium duximus, eum, de ratione, quæ nobis obfuit, admonere; quamvis non adeo illa sit abdita, ut è limine non fiat obvia. Scilicet, cùm nostrorum Poetarum plura sint Opera sæculis retrò edita, remotissimis plagis excussa, nobisque hucusque inaccessa; eaque omnino expectanda forent, ut Corpus hoc Alphabetico, Chronologicovè ordine evaderet absolutum; quod quidem nonnisi longa intercapedine consequi posset (si fortè posset). Nè præcipientis nutui haud secùs, ac jussi, videremur obtemperare, nevè inhiantium vota differre; quotquot ad manus erant, authographa, & exemplaria edere properavimus, cætera, cùm primum ad nos perveniant, edituri, non curato litterarum, temporisve ordine; quippe qui non tantæ moræ pretio visus est comparandus; cùm parùm ornamenti esset allaturus uni Corpori, non alio à se ipso indigenti: ne verò ullo usquam deficiat, postquam totum Corpus absolvemus, Indice Alphabetico, & Chronologico illud supplebimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google